Moeller De Plauti Epidico

DE

PLAVTI EPIDICO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVII MENSIS IVLII A. MDCCCLXV

PVBLICE DEFENDET

RICHARDVS MVELLER

GLOGOVIENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ALBERTVS A BAMBERG, PHIL. DR.
THEODORVS PLVESS, SEM. PHIL. SOD. ORD.
RVDOLPHVS SCHOELL, SEM. PHIL. SEN.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI

A. MDCCCLXV.


ARTES
LIBRARY
UNIVERSITY

PATRI · CARISSIMO

PATRI · CARISSIMO

I.

De argumento fabulae locisque aliquot inde iudicandis.

Initium facio ab argumento fabulae, in quam inquisiturus sum, accuratius enarrando, ne inutilem plane et supervacaneam operam suscepisse viderer, haud veritus. Namque facili negotio licebit evincere complures fabulae locos, de quibus iudicium ex totius argumento suspensum est, a viris doctis, quod fabulae summam minus curarent, aut omnino intactos relictos esse aut non esse recte aestimatos; tum vero hoc alterum nascetur commodum, quod, quicunque Epidici loci in contentionem venient, quo ex sententiarum nexu deprompti sint, etiam non moniti meminerimus. Audiamus ergo primum fabellam secundum scenarum ordinem explicatam.

Prima igitur in scena Thesprionem servum, qui erilem filium in bellum aliquod Thebanum armiger secutus est, inde reducem Epidico conservo suo narrantem audimus, Stratippoclem erum Thebis argento faenore sumpto amicam mercatum esse danistamque, cui deberet, secum adduxisse. Quo nuntio minime exspectato Epidici animus vehementer perturbatur; is enim ipsius erilis fili rogatu priorem eius amicam Atheniensem domum adduxerat argento emptam, quod a sene, cui filiam spuriam, Epidauri satam, a se Athenis apud

lenonem repertam esse dicebat, ad hanc filiam liberandam acceperat. I, 1. Mox ipse advenit Stratippocles cum amico, quem cum frustra mutuum roget argentum, in Epidicum pecuniae comparandae munus confertur. Atque ero, quid fidicina illa iam empta fiat quaerenti hic respondet Euboicum eam militem deperire, quem, ubi compererit Stratippoclis amorem locum mutavisse, pro illa argentum lubenter daturum esse. I, 2.

Prodeunt iam in scenam Periphanes senex cum Apoecide amico, quorum ex colloquio hoc apparet, illum mulierem, quam olim compresserat cuiusque desiderium filia ei a servo supposita excitaverat, in matrimonium ducturum esse, ni filium, qui est Stratippocles, revereretur. II, 1. Suadet igitur Apoecides, ut filium in matrimonio collocet, id quod etiam magis eo commendat, quod illum fidicinam aliquam deperire audiverit. Audit hoc Epidicus auditoque statim usurus senes appellat narratque plenas esse vias militum ex bello Thebis redeuntium; quibus inter magnum meretricum numerum obviam ivisse etiam erilis fili amicam. Ibi se ex mulieribus quibusdam audivisse ad meretricem illam a Stratippocle tabellas adlatas esse, quibus ille promitteret, se ad eam liberandam argentum Thebis faenore sumptum laturum esse. Iam igitur seni quid faciat incerto dat ille consilium, ut mulierculam istam, nati corruptricem, praemercetur, et quidem tamquam in libertatem atque per internuntios, ne ipsum rem agentem fili causa facere leno suspicetur et eam ob suspitionem difficultates eveniant. Argentum — postulat vero ad quadraginta minas — Rhodium quendam militem fidicinae illius et ipsum amantem lubenter redditurum esse. Rei igitur gerendae Epidico auctore Apoecides praeficitur, qui vir iura et leges teneat, eique ipse se servus callide socium adiungit. Atque ille in forum abit, quo se Epidicum sequi iubet. II, 2. Is autem argentum a Periphane sibi traditum ad erilem filium deferre et Apoecidi conductam aliquam fidicinam, quae se

emptam simulet, ostendere constituit; lenonem enim, quippe cui nuper pro Acropolistide, priore illa Stratippoclis amica, pecuniam dederit, si qui eum interrogent, se ab Epidico argentum accepisse affirmaturum esse. II, 3. III, 1, 2. Lenonis tamen in ipsa scena nullae sunt partes; videmus tantum re iam peracta conductam illam ab Apoecide adduci, qui quidem servi prudentiam seni exponens summis laudibus effert. Rem enim istum adeo astute instituisse, ut se emptam esse a sene fidicina prorsus nesciret. III, 3. Qua re Periphani laetanti et utilitatem amici astutiamque praedicanti advenit miles, ille quidem, quem Acropolistidis amatorem esse ex colloquio servi cum Stratippocle I, 2 audivimus. Periphanes autem eum Rhodium istum putans, quem Epidicus ementitus erat, postquam miles se vel sexaginta minas pro amica daturum dixit, quam modo Apoecides adduxit fidicinam foras progredi iubet, quo facto statim non esse hanc nati amicam a milite docetur. Confirmat haec et ipsa fidicina, se non emptam esse sed ut seni rem divinam facienti fidibus cantaret conductam, Acropolistidem autem veram amicam — quam senex ipse emerat et quasi filiam domi habebat — iam a Stratippocle liberatam esse. III, 4. Priusquam tamen senex ad servum nequissimum arcessendum scenam relinquit, Philippa prodit, ipsius quondam amica, quae, ut filiam Thebis captivam abductam quaereret, Athenas venit. Cognoscunt se, mulieremque consolatur Periphanes, quippe quod filiam per servum nuper repertam emptamque domi habeat. IV, 1. Iam etiam hoc in negotio manifestum fit servum ei os impudentissime sublevisse, de quo certior factus ille omnibus rebus relictis ad Epidicum conveniendum prorumpit. IV, 2. Nunc demum nova Stratippoclis amica a danista adducitur, adductam Epidicus, qui modo duos decrepitos senes lora ementes vidit, Telestidem, Stratippoclis sororem, Philippae filiam, agnoscit. V, 1. Qua re omni iam metu liberatus ubi erum convenit, quae facta sunt, tamquam suo consilio

sic administrata enarrat, cuius rei gratia ilico solvitur ac libertate donatur. V, 2.

En fabulae, quam aeque ac se ipsum amabat poeta, argumentum sat illud quidem intricatum, sed tamen bene compositum expolitumque. Nulla enim est scena, ne actum dicam, quae non cum fabulae summa arctissimo vinculo coniuncta sit, nulla exstat persona, quin sit ad actionem aut praeparandam aut promovendam alicuius momenti. Nullus hic parasitus, nullus est coquus, qui universam fabulae rationem nihil curans ridiculas suas fundat orationes. Immo perquam concisa est copiosi argumenti tractatio, quae tamen brevitas tantum abest ut negligentiorem remissioremque operam prodat, ut sit certissimum curae et meditationis indicium. Quamvis vero ad summam fabula elaborata sit et expolita, quaedam tamen exstant, quae si admisit poeta, in his cum fabulae rationem deseruisse atque secum repugnantia posuisse fatendum est. Itaque ad haec qui primus diligentius animum advertit Ladewigius, diurn. antiqu. 1841 p. 1079, Epidicum fabulam in contaminatarum ordinem recepit atque adeo fabulae actus scenaeque ex hoc an ex illo Graeco exemplari desumptae essent indicavit. At, fac esse fabulam contaminatam, quid lucrabimur? Nonne etiam magis mirandum erit poetam, qui tanta diligentia duarum fabularum argumenta inter se componeret, ut ex iis vere unam faceret, eundem in singulis, quae tamen, si quidem scripsit, cum ipso fabulae argumento arctissime cohaererent, quid consilio a se instituto conveniens esset non curavisse? Scio quidem, quam multa aliis in fabulis e contaminatione recte sint explicata; sed quales sunt hae in Epidico offensiones, quid Ladewigi de contaminatione sententia utilitatis habeat non video. Accedamus igitur ad locos ad sententiam ab illo firmandam prolatos. In quibus si non me contineo examinandis, sed pro meo arbitrio alios quosdam, qui in eandem sententiam trahi possint, adiungo, haec causa erit, quod non ut virum

doctissimum impugnem mihi proposui, sed ut quaestionem ad crisim fabulae gravissimam, si fieri potest, absolvam [1]).

Atque primos in examen voco versus II, 2, 108—109:

Ap. Épidice habeas grátiam. Ep. Sed ego ístuc faciam sédulo
Égo illum conveniam átque adducam huc ád te quoiast fídicina

Epidicus scilicet diligenter cavet, ne senes animum colligant remque quomodo optime instituant sat possint deliberare; est enim ei, ut ipse in quantum liceat rei agendae praeponatur, summo opere curandum, quamobrem ne nimium poscendo suspitionem contra se moveat, primo quidem, ut argentum, quod intercipiendum est, ab Apoecide ad lenonem deferatur concedit, mox v. 110, postquam reliqua se ipsum administraturum esse pollicitus est, astute pro uno Apoecide rei argentariae praefecto se ipsum cum Apoecide supponit. Quod si horum versuum priorem etiam recentiores editores integrum debebant relinquere, alter aut Plautum aut editores aut me dormitantem hunc tractavisse locum evincet. Nam nisi egregie fallor eorum, quae iam ex astuto suo mendacio a senibus servus impetravit, summum hoc est, ne Periphanes cum lenone, quoia erat fidicina, de ea emenda ipse agat. Ideo, ut ab hoc eum retineret, ad difficultatem, quae evenire posset, si ipse Periphanes ad lenonem argentum deferret, senum mentem adverterat v. 105. Quid igitur? Illa res postquam ei prosperrime cessit, credemusne eum ad Periphanem se lenonem adducturum esse ultro promisisse, quod quidem si faceret, dolus ad dimidiam partem iam expeditus omnis interierat? Quali promisso si stabat, se non metuere sus-

1) Fr. Ritschelius consueta liberalitate apparatum suum criticum mihi utendum permisit, cuius ex schedis quae de cod. Ambrosiano aut de Vetere refero, iis omnibus aut AR aut VR notas appono. Cui carissimi praeceptoris benignitati quantum debeam, qui in condicione meae simili fuerunt aestimabunt.

pitionem istam ostendebat neque iam ulla erat causa, quin ipse Periphanes argentum lenonis manibus traderet. Atque ne fieri quidem illud in fabula vix est quod moneam. Num igitur hanc in poetam culpam conferes cumque levius rem suam gessisse contendes? Equidem librarios potius culpo, Plautum vero sic scripsisse suspicor:

Égo illum quoiast cónveniam atque addúcam huc ad te fídicinam.

Difficilior ad iudicandum Epidici est de novo suo dolo ad adolescentes narratio, quae quamquam multos vexavit interpretes, etiamnunc mendosa est. Legimus enim III, 2 inde a v. 18:

Nunc íterum ut fallatúr pater tibique aúxilium adparétur.
Invéni. Nam ita suasí seni atque hanc hábui oratiónem [2])
Ut quóm redisses né tibi eius cópia esset. Str. Eúge.
Ep. Ea iam domist pro filia. Str. Teneo Ep. Nunc auctorem [3])
Dedít mihi ad hanc rem Apoécidem.

Quae verba statim apparet lacunosa esse. Namque quoniam ariolum fuisse et divino spiritu plenum Stratippoclem credibile non est, non potuit profecto ex his Epidici verbis: *'Ut quom redisses ne tibi eius copia esset'* quod tandem esset illius consilium intellegere. Ad quae si quid omnino cogitavit, ea ad amicam suam Thebis adductam referret necesse erat, nec poterat ullo modo *'euge'* exclamando comprobare. Nec fugit hoc viros doctos, qui tamen in sede lacunae statuenda errarunt, cum post versum 20 demum quaedam excidisse arbitrarentur. Eo in numero

2) Inveni. Nam: M (i. e. diss. scriptor) inveniam VR inveni iam: Acidalius, Bothius, Iacobus.

3) Pro filia: Acid., Brixius, emend. Plaut. p. 17, cuius emendationis de veritate non dubito. VR: *'pro illa'* non ab eadem manu.

Brixius est, emend. Plaut. p. 17, qui locum sic reconcinnandum putavit:

Ut quóm redisses né tibi eius cópia esset .. Str. Eúge!
Ep. [Eam áb lenone praéstinaret átque hinc amovéret]
Ea iám domist pro fília. Str. [Iam] téneo. Ep. Nunc
auctórem.

Sed Brixius, quod Iacobo accidisse dicit ne ipse pateretur, non cavit atque huius loci condicionem exponens miro modo diversa inter se commiscet. Necesse enim est hic, ubi servus verum loquitur consiliumque suum explicat, '*eius*' pronomen v. 20 ad unam referamus personam. Refer igitur primum ad Acropolistidem, veram amicam et pro filia suppositam: non stabunt quae Brixius interposuit, quoniam illa triginta minis iam empta erat, priusquam Stratippocles Athenas revertit. Iam vero referas, largior, ad illam fidicinam, quam ut erilis fili amicam servus suppositurus est, de qua tamen nihil dum cum adolescente communicavit: non convenient verba: '*Ea iam domist pro filia*', haec cum in sequente demum scena ab Apoecide adducatur. Omnino, si post v. 20 lacunam statuas, inepte incipit illud '*euge*' exclamare Stratippocles, antequam unam ipsius doli a servo instituti syllabam audivit. Itaque mihi semper luce clarius videbatur lacunae sedem inter v. 19 et 20 esse, id quod diu iam observatum inveni a Taubmanno eorum tamen, qui post eum hunc locum attigerunt, nemini audito, qui scribit in adnotatione: „Ceterum hic post illa verba: 'atque hanc habui orationem' aliquot versus desiderari plane existimo"; et mox „omnino igitur corruptus locus". Quoniam vero quae intercidisse putanda sint, si rem ipsam spectas, ex verbis '*Nam ita suasi seni atque hanc habui orationem*' certissimum est, ut facilius fieri de hac emendandi ratione iudicium posset, exemplo aliquo genuinam loci formam adumbrare conatus sum:

Nam ita suasí seni atque hanc hábui ortiónem

[Tibi ésse in urbe fídicinam multúm quam deperíres,
Ut érat priusquam túus amor ad áliam transvolávit.
Ei esse hódie adlatum núntium, te argéntum ferre
Thébis
Ubi prímum adesses, ílico ut amícam liberáres.
Trepidánti seni ne id fíeret fui ego húius astutiae
aúctor,
Meretrícem eam ut quam celérrume a lenóne prae-
stináret],
Ut qúom redisses nó tibi eius cópia esset. Str. Eúge.

Iam licet ad versum, qui sequitur, 21, progredi, qui non ob syllabas tantum ad plenum septenarium deficientes vitiosus habendus est. Quod enim Epidicus tamquam aliquid novi hoc loco addit eam iam domi esse pro filia, expositionis suae rationem vehementer turbat, quoniam hoc profecto in priore illo dolo enarrando ei commemorandum erat; nisi, quod verisimillimum est, cum ea res spectatoribus iam ex prima scena nota esset, Stratippoclem servus de ea in Chaeribuli domo iam certiorem fecerat. Qua re ea verba hic quid velint non intellego, nisi si a Stratippocle dicuntur et ita quidem, ut logica quadam ratione cum postremis Epidici verbis coniungantur. Scribam igitur:

Str. Euge,
Quae iám domist pro fília! Ep. [Tenen?] Str. Té-
neo. Ep. Nunc auctórem

Scilicet gaudet ille miraturque instituti a servo doli astutiam, ex quo senex ad eam ipsam tamquam nati amicam emendam argentum dederat, quam iam pro filia domi habebat.

Atque eadem scena etiam largiorem nobis suppeditat dubitandi deliberandique materiam. Cuius hi sunt versus 33—34:

Ibi léno scelerátúm caput suum imprúdens adligábit

Quasi pro ílla argentum accéperit, quae técum adducta
núnc est.

Ex his nonne mirum, si hac omni in fabula contra lenonem nihil efficitur? Nam nemini profecto, qui quam haec esset fabula simplex et una et eum omni inutili rerum abundantia carens, tum plena tamen atque perfecta reputaverit, credibile videbitur interiisse scenas, quibus Epidicus suas in lenonem machinas moliretur. Esset igitur haec mera servuli vaniloquentia, qua inter spectatores de sua calliditate opinionem non poterat non minuere et debilitare; non enim exsecutus esset, quae se perpetraturum gloriatus erat. Accedit, quod id, quod promittit, mirum est et prorsus inauditum. Nam quamquam contra lenones in comoedia omnes sunt odio inflammati et tamquam coniurati atque, quidquid iniuriae iis infertur, hoc iure factum dicitur, tamen quod hic servus se in lenonem machinaturum esse promittit omnem modum excedit nec tantum infacetum est, sed absurdum. Quid enim? Quamvis neque lenoni neque altera ex parte Periphani aut Apoecidi de fidicina Thebis adducta quidquam constet, ex negotio, quod inter eos fit, speciem oriri, quasi pro illa argentum solutum sit et acceptum, quam neutra pars noverit! Quod si fieri potuit, dicas velim, quid non potuerit. Atque quanto insolentior est haec servi fiducia, tanto magis flagitandum erat, ut qua via ad tantum facinus adgredi vellet, aliquo modo significaret. Sed, ut supra dixi, huius rei post nulla fit mentio. Iam igitur si quaerimus, num per contaminationem rei tam mirabili tamquam ab ipso poeta profectae fidem facere liceat, cur mihi in hac quidem fabula, quod ad argumentum attinet, tanta cum cura facta negandum esse videretur, causam iam aperui. Persuasum igitur habeo hos versus non posse illatos esse nisi ab homine, qui non fabulae universam rationem sed huius loci tantum ad lenones lacessendos opportunitatem spectaret, seu is versus et a verbis et a

metro optimos ex alia Plautina fabula huc transtulit [4]), seu in poetis comicis adeo versatus erat, ut ipse posset tam bonos versiculos pangere. Et in proclivi est eos ad histrionem aliquem saeculi a. u. c. septimi auctorem referre. Nam ut Epidicum fabulam iam Plauti aetate plus semel actam esse ex versibus constat Bacch. 214—215:

Etiam Épidicum quam ego fábulam aeque ac me
ípsum amo,
Nullam aéque invitus spécto, si agit Póllio,

sic eam etiam poesi Plautina post mortem auctoris in scenam revocata [5]) non sine Quiritium plausu spectatam esse verisimile est. Quod ad tempus haud dubie etiam memorabile illud interpolationis exemplum referendum est, quod nuper huius fabulae II, 2, v. 45—51 detexit Wagnerus [6]), quoniam versuum, quos ut non Plautinos recte condemnat, tertium Varro laudat, de L. L. V, 131.

Iam si meam de v. 33—34 e textu removendis sententiam idoneis argumentis niti probaverim, hoc alterum est in hac scena quamvis non eiusdem speciei interpolationis exemplum, quoniam v. 17:

Manibus his dinumeravi, pater suam natam quam
esse credit

non Plautinum esse sed librari alicuius additamentum ex exemplo vv. 31—32 confectum diu vidit Ritschelius, prol. in Plaut. p. 156. Ut hinc gravissima exoriatur contra v. 30 suspitio, in quo non mediocris sit offensio. Dicit enim Epidicus:

cum (sc. lenonem) ego docébo
Si qui ád eum adveniant, út sibi datum ésse argen-
tum dícat.

4) In universum de hoc corruptelae genere cf. Ritscheli comment. philol. tom. I insertam 'Parallelstellen als Ursachen von Glossemen'.

5) v. Ritscheli parerg. Plaut. p. 180 sq.

6) Guil. Wagner, 'de Plauti Aulularia' p. 32—34.

Pro fídicina. argentí minas se habére quinquaginta.
Quippe égo qui nudius tértius meis mánibus dinumerávi
Pro illá tua amica, quám pater suam fíliam esse rétur.

Ubi in numeris sibi non constitisse poetam, cum V, 2, 28 et 40 eandem fidicinam triginta minis emptam diceret, recte perspexit Acidalius, qui se quo hunc oeconomiae errorem tegat colorem aut velum habere negat. Nec tale velum Gronovius repperisse censendus erit, qui ad hanc confugit explicationem, 'Epidicum vernili ingenio et iactantia summam apud alios verbis exaggerasse'. Num igitur tali in offensione cauti atque prudentis fuerit critici in eo acquiescere, quod non semel Plautus in rebus secundariis negligentiorem se praebuit, cum hoc loco quanti fidicina illa veniverit res sit nullius momenti? Age, conferamus inter se numeros, qui in hac fabula in emptionibus occurrunt: Acropolistis a servo pro filia supposita triginta minis constat, V, 2, 38 et 40, Telestis Thebis adducta quadraginta, I, 1, 50; II, 2, 38, Epidicus a sene ad fili amicam emendam quinquaginta accipit III, 2, 11, miles sexaginta pro amica promittit. Qualem in numeris variationem cum casu factam esse probabile non sit, concedendum erit etiam in his numeris adornandis poetam aliquam posuisse curam iisque variandis diligenter cavissé, ne, quod metuendum erat, emptionum multitudine spectatores fallerentur. Neque tamen hac observatione sola istud ad poetae negligentiam confugium nobis occluditur; repellimur indidem, si consideramus, hac ipsa in re tamquam cardinem rerum verti, quomodo leno responsione sua apud Apoecidem fidem faciat argentum, quod is ipse tradere debebat, ab Epidico iam dinumeratum esse. Servus vero haud dubie rem ita instituturus est, ut Apoecidem lenonem, num ab Epidico argentum acceperit, interrogare iubeat, quod illum, qui re vera triginta minas a se acceperit, affirmaturum esse sperare potest. Nam, si quid video, in hoc ipso, ut Apoecides de argento interrogationem

non satis definiat, ita ut ipse de nova pecunia cogitet, leno de argento nuper soluto, tota fraus posita est. Deleo igitur v. 30 legoque:

Si qui ád eum adveniant, út sibi datum ésse argentum dicat [7]),
Quippe égo quod nudius tértius meis manibus dinumerávi.

Atque his cum totius loci rationi satisfactum esset, poetam certum numerum memorantem de nihilo sibi maximas difficultates creaturum fuisse non minus apparet, quam alterum illud, verba quae sequuntur '*Vorsutior es quam rota figularis*' nihil valuisse, si v. 33 et 34 Epidicus fucum fecerat promiseratque, quae omnino efficere non posset.

IV, 1, 41—42 legimus:

Pe. Ého istinc, Canthará, iube
Acropolistidém prodire filiam ante aedés meam.

Sic enim VR, a quo in priore versu vulgata lectio perperam multum differt; atque etiam Ambrosianum Acropolistidis nomen exhibuisse ex Ritscheli schedis cognovi.

Ipsa igitur matre praesente senex Acropolistidem filiam nominat, cui Telestidi nomen fuisse ex V, 1, 30 constat. Aperta igitur est, inquit, Plauti inconstantia, apertum fabulam esse ex contaminatis. At quam imprudentem poeta, quam insulsum se contaminatorem praestitisset, si sine ulla utilitate duabus mulierculis, et fili amicae et sorori, per fabulae partem idem nomen esse passus esset. Quod si faceret, non potuit non prorsus oblitus esse, quod in ipsa scena, quae antecedit, posuerat. Nam contra militem Acropolistidem a sene poscentem is se nullam novisse huius nominis nisi illam fidicinam nati amicam clare ostendit, quoniam alioquin nullo modo non poterat illius Acropo-

7) '*Quod*' scripsi pro '*qui*' quod traditum est, cuius tamen in vicem v. 30 non deleto '*quas*' potius exspectes.

listidis mentio fieri, quae tum pro filia domi erat. Quid igitur, si in hac nominum similitudine librarios incuriae accusemus, non poetam? Sic olim Camerarius, vir ille simplici veroque iudicio insignis, qui aut '*Huc Telestidem*' legendum esse censuit aut, quod tamen nullam habet probabilitatem, '*Acrotelestidem*'. Cuius sententiam comprobavit Gronovius ita, ut '*Foras Telestidem*' scribi vellet, quod, dum emendatio etiam probabilior inventa erit, recipiendum est.

Iam gravissima quaeque, quae contra fabulae argumentum eiusque unitatem aut prolata sunt aut proferri poterant, si res nobis feliciter cesserit, sustulimus. Nam quod I, 2, 50 miles Euboicus appellatur, II, 2, 115 Rhodius, in hoc equidem non offendo. Illic enim, ubi eum Stratippocle loquitur, servus verum dicit, itaque Euboicus miles, Acropolistidis amator, III, 4, ad amicam emendam in scenam prodit; hic vero contra senes mendacia fundit veris sane permixta, sed tamen non amplius, quam in rem est consilioque, quod instituit, convenit; ubi enim commodo est, mentitur, velut II, 2 v. 67, v. 87. Concedendum sane hoc est, ad ipsum dolum plane nihil interfuisse, verumne an commenticium nomen senibus memoraret Epidicus, cum is profecto nihil minus ageret, quam ut re vera militem ad argentum Periphani pro fidicina reddendum adduceret. Ad artem tamen bene mihi hoc alio nomine substituto rem suam poeta administravisse videtur, quippe quo artificio caveret, ne servi historia mendaci speciem nimis amitteret ideoque has omnes esse meras fallacias spectatores obliviscerentur.

Nec magis Ladewigi sententia eo firmatur, quod et ex act. IV sc. II exeunte et ex initio alterius act. V scenae apparet servum, non Telestidem, a senibus tanto opere quaesitum esse, versu autem postremae huius scenae 54, qui hic est ex VR:

Quámne hodie per úrbem uterque súmus defessi
quáerere

virgo causa fuisse senum per urbem itineris ac laboris dicitur. Talia enim qui ex contaminatione explicari queant, non video. Atque praeut vir doctissimus huius fabulae partes inter duo Graeca exemplaria dispertitus est, actus IV et V eiusdem sunt exemplaris, ut ad summum offensionis commutetur locus ipsa offensione non sublata. Sed rem agimus Bothi sagacitate diu iam absolutam. Is enim Acidali emendationem *'quemne'* pro *'quamne'* restituentis amplectens v. 54 et 55 ante v. 50 transponendos esse perspexit, qua emendatione locum sine dubio persanavit.

Iam quae sola superest Ladewigi offensio ex act. II, sc. II initio orta, ea proximo in capite diluetur, quo quidem capite lacunas, quibus fabula hodie mutilata et depravata est, comprehendam. Non autem vereor, ne quis corruptorum, de quibus dictum est, locorum multitudine se in sententiam meae contrariam abripi patiatur. Reputandum enim est inter omnia solutae et vinctae orationis genera comoedias longe maxime depravationi esse obnoxias, reputandum hoc inprimis valere de his Romanorum fabulis, quae ab ipsa origine fuerint fabulae cum libertate versae et immutatae. Quo cum accedat de qua agitur fabulae sat tenuem esse memoriam, contra eam quandam iudici libertatem nemo non admittet et comprobabit.

II.

De lacunis.

Quamvis sagaces et subtiles existimatores in singulis explicandis nonnulli ex Plauti interpretibus sese praestarent, in corruptelis aut interpolationibus aut lacunis ortis non eodem iudicio usi quamlibet potius toleraverunt offensionem, quam ut aliquid ad honorem poetae restituendum auderent. In hoc genere nostra demum aetate Plauto subventum est. Sed quoniam, qantumcunque comicae Romanorum poesis condicio ex Ritscheliana Plauti editione promota est et in melius commutata, si ea, quae natura universa sunt, omittas, Epidicus fabula in paucis tantum saluberrimam fortunae commutationem experta est, non mirabere in fabula, quam lacunosam esse evincere liceat, nulla fere reperiri in libris lacunarum signa [1]). Quamobrem cum ad integrum et intactum adhuc locum adgrediar, graviora tantum et quae tamquam in oculos occurrunt persequar, difficiliora quaedam et magis incerta silentio transiturus.

I, 2, 59. Epidicus postquam argenti comparandi munus suscepit, adolescentibus intro missis senatum consiliarium, ut dicit v. 56, in corde convocat. Neo sane desunt, quibus se ipse ante consilium ad strenue agendum hortatur (v. 58—59), quae tamen cum continuo sequatur certum consilium v. 60:

Át eundem senem óppugnare cértumst consiliúm mihi.

1) Ne haec iis, quae supra de argumenti integritate disserui, repugnare putes, Epidici lacunae non nisi aliquot scenae versiculis continentur itaque sunt comparatae, ut nulla ipsius actionis pars desideretur.

ipsam consili quam indixerat actionem desiderabis. Ridiculum enim est ante rem aliquam multa praefari, post rem ipsam intactam relinquere. Atque offendendum est etiam in praecipiti ab altera ad primam personam transitu. Nam etsi *'mihi'* illud v. 60 probabili tantum coniectura invectum est, imperativi *'i, i, abi'*, quos a typographis non plene exaratos esse Pareus lamentatur, neque minus verba *'dic iam'* vitiosa sunt, ut et per se intellegi poterat et ex Ambrosiano (R) constat *'ibo'* et *'dicam'* testante, ut *'intro'* glossemate eiecto versus scribendus sit:

Ibo atque adulescénti dicam nóstro erili fílio.

Ad quae certissimum hoc accedit ad indicandam lacunam argumentum, quod verba *'ad eundem senem'* (Ad eundum: AR) in iis, quae nunc antecedunt, plane non habent, quo referantur. Nihil sane facilius ad mutandum: seu cum Acidalio *'At tandem'* scribimus, seu Bothi *'Adeundumst'* aut Weisei *'Audendumst'* praeferimus. Sed cum duae reliquae offensiones ita non tollantur, nihil mutandum duco sed lacunam censeo ante v. 60 statuendam esse. Scilicet Epidicum varias argenti excutiendi occasiones circumspicientem sat credibile est meliorem nullam invenisse, quam ut iterum in ipsum erum machinas suas ictusque intenderet. Quem cum permoveret, ut amicam nati tamquam ipsius filiam emeret, argento iam circumduxerat, ut hinc verba, quae sequuntur, facilem haberent explicatum.

Act. II, sc. 2 initio post Epidici verba adolescentibus tantum et spectatoribus audita senum de alterius uxore colloquium ista Epidici oratione interruptum sic continuatur v. 6:

Ap. Cóntinuo ut marítus fiat. Pe. Laúdo consilium tuum.

Ubi iure offendit Ladewigius, qui quidem hac quoque offensione ad contaminatam fabulam evincendam usus est. Sed omnino in scena fieri nequit neque ullo loco a Plauto sic institutum est, ut colloquium aliquod, ubi a persona

secum aut ad spectatores loquente interrumpitur, iis continuaret omissis, quae interea a colloquentibus dici poterant. In rerum naturam sane non convenit hominum duorum colloquium tertii alicuius oratione sisti, quae ab illis plane non audiatur; sed cum non possent poetae duas partes simul loquentes facere, illam potius praeter naturam consuetudinem amplexi sunt, quam ut orationum simul habitarum tamquam fragmenta darent. Sed melius, quae dico, intelleges, si scenam similiter comparatam contuleris, velut Cas. act. II, sc. 8. Ubi Stalino cum vilico colloquens a Chalino, qui ab iis non visus ad parietem eorum sermoni operam dat, aliquoties interpellatur nec uno tantum versu (v. 24 sq.), nusquam tamen eam ob causam ulla ipsius colloqui particula desideratur. Neque aliam, ut ex plurimis pauca exempla addam, rationem institutam invenies Stich. I, 2. Pseud. III, 7 et I, 5. Igitur quoniam constantissimam consuetudinem atque optimo iure adscitam hoc uno loco deseruisse poetam non erit probabile, praesertim cum Apoecidis verbis '*Continuo ut maritus fiat*' ne plenum quidem contineatur enuntiatum, non dubito, quin ante v. 6 futuro fabulae editori lacunae signum ponendum sit.

III, 2, 17. Iam revertendum est ad illam Epidici de rebus a se perpetratis orationem, quae iam in primo capite tanta nobis creavit negotia. Sunt ex ea hi versus servi ob facinora gaudio exultantis:

Nam léno omne argentum ábstulit pro fídicina: ego resólvi

Manibus his dinumeravi, pater suam natam quam esse credidit (sic VR)

Nune íterum ut fallatúr pater tibique aúxilium apparétur || Inveni.

Quorum versuum medium ut librarii alicuius interpretamentum iure a Ritschelio deleri prol. in Plaut. p. 156 iam commemoratum est. Videtur tamen in hoc non acquiescendum esse. Servum enim, cuius pectus laetitiae et su-

perbiae adeo plenum sit, ut nihil iam moretur vetera et vulgata verba (v. 14), non consentaneum est ex duobus suis facinoribus alterum tam cito pede transilire, quam nunc fit ex librorum memoria, ut hinc non levis oriatur suspitio, ne verbis ab interpolatore invectis genuini aliquot versiculi interciderint. Atque augetur et confirmatur eo suspitio, quod, si quid sapio in arte rhetorica, verba quae sunt: '*Nunc iterum ut fallatur pater*' tale quid ante se requirunt, quale sit:

Hic érat in senis marsúppium quem inténdi primus ictus.

Quali versu antecedente quantopere augeatur illorum verborum vis et gravitas, vix quemquam fallet.

III, 4, 80. Periphanes, qui de fraude servi in se commissa modo certior factus est, solus in scena remanens hanc fundit orationem:

Quid núnc? qui in tantis pósitus sum senténtiis,
Eúmne ego sinam impúne? immo étiamsi alterum [2])
Tantúm perdundum'st, perdam potius quám sinam
Me impúne irrisum esse hábitum, depeculátum eis.

In Vetere pro '*eumne*' v. 81 '*eamne*' exstat, quorum utrumcunque amplectimur, quo in verborum structura sit referendum non invenimus.

Neque vero, quod non minus offendit, verba v. 80 cum versu, qui sequitur, bene in unum coeunt enuntiatum; nam post enuntiatum relativum '*qui positus sum*' non exspectamus '*eumne ego*' sed '*egon eum*'. Quid, quod '*eis*' pronomen v. 83 non magis quam illud '*eumne*' intellegitur, quoniam hucusque senex a servo se cum erili filio de compecto agente falsum irrisumque se suspicari ne verbo quidem significavit. Haec ad lacunam post v. 80 evincendam sufficiant; sed alia quaedam quamquam secundaria sunt, cum in eandem valeant partem, non omit-

2) Verisimile est poetam sic potius verba ordinasse: *Eúmne sinam ego* —.

tam. Scilicet ista *'qui in tantis positus sum sententiis'* locutione quotquot ad Plautum interpretandum accesserunt mire vexati sunt, nec fere quisquam suam verborum interpretationem eorum, qui post eum hunc locum tractaverunt, uni probavit. Atque vetustiorum quidem commenta apud Lambinum ad hunc locum enarrata invenies. E recentioribus Rostius in fabulae versione germanica interpretatus est: 'Ich, der so viele Urthel unterschrieb', Ladewigio l. s. l. pag. 1084 Periphanes praeter animi voluntatem orationem sic confirmasse videtur, ut hic esset proprius eius verborum sensus: 'der ich auf lauter hochtrabenden Sentenzen stehe d. h. der ich meinen Ruhm meinen Denksprüchen verdanke'. Mihi ex omnibus una probabilis videtur Gronovi interpretatio, qui *'poni in sententia'* idem valere dicit atque *'praescribi sententiae auctorem'*. Non tamen negaverim verborum eorum vim, ut ex ipso illo virorum doctorum dissensu apparet, paullo obscuriorem esse, quamobrem lubenter crediderim, in iis quae exciderunt fuisse, quae istis verbis inservirent illustrandis. Desunt denique v. 81—83 in codice Ambrosiano, nisi quod *'eis'* pronomen in initio illud v. 84 positum servatum est. Quod quamquam minime demonstrat versiculos hos non esse Plautinos, hinc illud tamen apparet, hoc loco iam in vetustissimis libris turbas exstitisse, ut de lacuna coniectura mea etiam extrinsecus non careat commendatione.

Quae ex hac fabula in glossarium Plautinum a Ritschelio 1846 editum excerpta sunt vocabula, tria sunt: *'nevis* pro *nonvis. pausillatim. largiter'*, quorum posteriora duo etiam hodie exstant II, 2, 63 et III, 4, 49. *'Nevis'* autem quod non legitur, nihil obstat, quin hoc lacuna act. II, sc. 2 post v. 5 demonstrata haustum esse sumamus, quamquam non is sum, qui improbabilia dicat, quae ea de re Hertzius suspicatus est in Prisciani editione vol. II, p. 58. Quare cum de ea lacuna disputarem, hoc tamquam argumento uti nolui.

Liceat his, quoniam interiore vinculo iuncta non sunt, quaedam adiicere, quibus mihi de aliquot Epidici locis aperte corruptis non male mereri videar. Selegi autem eos locos, qui variorum argumentorum vi et copia non egerent, quos, ut par est in talibus, quam brevissime potero enarrabo.

1) I, 2, 23—25 vulgo sic leguntur:

Aggrediar hominem. Advenientem peregre erum
suum Stratippoclem
Salva impertit salute servos Epidicus. Str. Ubi is
est? Ep. Adest.
Salvom te gaudeo huc advenisse. Str. Tam tibi istuc
credo quam mihi.

Hi versus quin trochaici esse debeant septenarii in optimorum trochaicorum versuum vicinitate dubitari nequit. Est igitur ex primo versu, de quo nemo dubitabit, '*suum*' pronomen ut unum supervacaneum expellendum, id quod iam a Bothio recte perspectum est. In altero vero versu non video quid sibi velit illud '*salva salute*', cuius loco '*sua*' vocabulum revocandum duco, quod quidem, si olim scriptum erat, eo corruptum esse in propatulo est, quod aut ad versum qui sequitur aut ad v. 19 librarii oculi aberrarunt. Iam ultimo versui quae sit adhibenda medela intelleges, si comparaveris hos quos ex Plauto conscripsi locos:

Bacch. 456. Sálvos sis Mnesíloche, salvom te ádve-
nire gaúdeo
Curc. 305. Sálve :: Salvom gaúdeo || Te ádvenire
Stich. 584. O mea vita — sálve . salvom gaúdeo
Péregre te in patriám redisse . sálve.
Most. 447. Ere sálve: salvom te ádvenisse gaúdeo.
Most. 805. Salvom te advenisse peregre gaudeo.
Poen. III, 3, 72. Salútat . salvom te ádvenire gaúdeo.

Hos igitur confer cum hisce:

Trin. 1073. Sálve :: Salve Stásime :: Salvom té . . .

:: Scio et credó tibi.

Truc. II, 6, 23. Sálve ecastor Strátophanes || Venire salvom . . :: Scio, sed peperitne e. q. s.

Quod qui fecerit sperd non miraturum esse, talem fuisse genuinam v. 25 formam si contendo:

Sálvom te advenísse huc .. Str. Tam tibi ístuc credo quám mihi.

2) Ibidem legitur v. 27:

'Impetratumst : émpta ancillast, quód tute ad me líteras [3])

Sed fidicina, de qua agitur, cum domi pro erili filia habeatur, ancilla non est, nec magis hoc verbum convenit, si rationem spectes, quae inter illam et Stratippoclem intercedit. Ut igitur ante puella lenonis fuerit *'ancilla'*, iam qui eo nomine eam contra erum servus appellare possit non inepte, non assequor, quamobrem a Plauto non *'ancilla'*, sed *'illa'* scriptum suspicor, ut sic sit scribendum:

'Impetratumst: émptast illa, quód tute ad me líteras

3) II, 2, 22. Quid traditum esset et in quo offendendum Wagnerus proxime exposuit, Iahn. ann. phil. tom. 89 p. 631. Is quod *'scit'* verbum in *'dicit'* mutandum censet, coniecturam occupavit, in quam ego quoque incideram. Cum tamen ius auctoris lubenter ei concederem, omnino tacuissem, nisi cum in re secundaria quidem librorum memoriam lenius viderem iudicavisse. Nam quamvis v. 22 exitum interiisse censendum sit, hoc tamen dubium esse vix potest, quin tales accentus: *'súnt domúm Thebís :: quis hóc'* vitiosi sint (cf. Ritsch. prol. in Plaut. p. 233), quare, cum illud *'quis hoc'* antiquum non esset, sic potius esse legendum mihi persuaseram:

Á legione omnés remissi dómum sunt Thebis. Ap. [Quís, cedo,]

4) II, 2, 56 sq. legimus:

---

3) Emptast ancilla: VR.

Ep. ibi illarum áltera
Díxit illi, quícum ipsa ibat. Pe. Quíd? Ep. Tace ergo, ut aúdias.
Póstquam illam sunt cónspicatae, quám tuus gnatus déperit:
Quám facile et quam fórtunate ílli evenit, óbsecro.

Quorum versuum ultimum cum sequentibus Ritschelius restituit, prol. p. 87. Offendo ego in eo, quod post verba Epidici *'tace ergo, ut audias'* non statim, ut exspectamus, sequitur ipsius mulieris oratio, sed verba, quae ad eam non pertinent. Desidero porro post illa: *'Postquam illam sunt conspicatae'* enuntiati quod sequitur verbum finitum vel adeo omnino apodosin, cui desiderio quamvis satisfiat, si scribamus:

Quám facile, inquit, quám fortunate ílli evenit ópsecro, tamen hanc emendationem, cui a librorum memoria nihil praesidi paratum sit, equidem tutari non ausim. Transpono potius v. 58 ante versum collocando, qui nunc eum praecedit.

5) III, 2, 6—7 vulgo scribuntur:

Ep. — sed ego hínc migrare cesso,
Ut ímportem in colóniam hunc auspício commeátum [4]).

Sed manifestum est *'auspicio'*, quamquam a Bothio per *'auspicato'* explicatur, per se stare non posse. Videtur igitur pro *'hunc'* accusativo ablativum *'hoc'* reponendum esse, qui ad verba sit referendus, quae antecedunt:

Pro di ímmortales, mi húnc diem dedístis luculéntum.

6) IV, 2, 21:

Póstremo haec mea cúlpa non est: quaé didici, dixi ómnia.

Ubi cum fidicina non suam esse culpam significare vellet, non se omnia dixisse, quae didicisset, inculcandum

---

4) Hunc: *vulgo;* hunc Hunc: VR.

erat, sed didicisse se omnia, quae dixisset, qua de causa non dubito, quin transponendum sit: didici, quae dixi, omnia.

7) V, 2, 10—11:

Duódecim dis plús quam in coelo deórumst immortálium
Míhi nunc auxilio ádiutores súnt et mecum mílitant.

Quibus in verbis alii aliter correxerunt viri docti, qui tamen id, in quo equidem maxime offendo, non tetigerunt. Epidicus enim, qui hoc dicere vult, nunc sibi etiam plures quam duodecim in coelo deos (cf. V, 1, 4) auxilio adesse, quemadmodum sana ratione eorum, quos praeter Olympicos adiutores habet, numerum sic definire queat, fateor me non concoquere. Cur duodecim appellat? Cur non viginti? Et quid omnino in numero leporis? Quoniam autem Plautum tam inepte iocatum esse credibile non est, vide, num leni mutatione probabiliorem sensum efficiamus sic scribentes:

Duódecim di plúsque quam in coelo ádeost immortálium
Míhi nunc auxilio ádiutores súnt —.

Et si in priore versu *'deis'* ut nominativum a poeta scriptum fuisse, ut sane licet, sumamus[5]), hinc quam facile potuerit genuina scriptura vitium contrahere in aperto est.

8) V, 2, 26:

Tibi moram facis, cum ego solutus adsto; alligo, inquam, colliga.

Sic legitur in vulgata metro nullo. Quod ut restitueret Bothius pro verbo *'adsto'* simplex posuit *'sto'*, ceterum in illis *'alliga, inquam, colliga'* non offendens. Quae cum per se mire dicta fuerint, hic plane locum non habent, quoniam non de alligando sed de manibus tantum colligandis sermo est. V. hui. sc. v. 17, 19, 23, 29, 57. At-

5) V. de hac terminatione vetustiore quae Ritschelius disseruit, Mus. Rhen. vol. IX, p. 156 sq.

qui vitiosum *'alliga'* verbum omnino in Vetere non exstat, sed coniectura tantum ex *'alege'* effectum est, quod quidem mihi *'age'* imperativo videtur mutandum esse. Scripserim igitur:

Tíbi moram facis, cum égo solutus ádsto: age, inquam, cólliga.

III.

De numeris primae fabulae scenae restituendis.

Prae ceteris huius fabulae scenis primae actus primi numeri in libris miserum in modum turbati sunt, quas quidem turbas si quis a recentioribus editoribus Bothio, Iacobo, Weisco auctas potius esse quam compositas contendet, vix iis iniuriam intulisse putandus erit. Quod tamen magis miror, illud est, quod etiam Brixius, Engerus atque adeo Hermannus [1]), ubi versiculi hinc deprompti in contentionem venerunt, varios in hac scena numeros admittere non dubitaverunt. Unum tantum invenio, qui depravata et fallaci librorum memoria diffisus quid Plauto dignum esset curavisse videtur, Guietum, qui praeter librorum memoriam per primos 36 versus idem metrum trochaicum non sine aliqua in emendando audacia restituit. Non perstitit tamen in saluberrimo consilio, sed difficultatibus, quae inde a v. 37 nascebantur, deterritus omisit, ut in posteriore scenae parte vulgata lectione non minores versuum turbas exhiberet. Nam ut statim quem ad finem perrecturus sim indicem, ex mea sententia tota

1) Brix, emendat. Plaut. Brieg 1847. Enger, zur Prosodik des Plautus, Ostrowo 1852. Hermann, elem. doctr. metr.

haec scena [2]) a Plauto uno eodemque numero, trochaico dico, conscripta est. Id enim profecto negari nequit in diverbiis quidam poetae, nisi is artem in ludibrium vertere velit, numeros sine iusta causa permutare haud licere. Atqui hanc scenam quotiescunque perlego, qui ex eius argumento isti numerorum licentiae excusatio parari possit, non video: ea enim est rerum, quae hic tractantur, et cognatio et continuitas, ea in servulis, quorum is, qui vivacior est, metum, quo agitatur, reprimit et dissimulat, animorum mediocritas, ut tali scenae unum aptissimum esse numerum mihi persuasum sit. Scio equidem, in talibus hunc poetam se non severissimis legibus adstrinxisse memorabilesque hoc in genere esse quasdam ex Persa scenas, qua de re conferas velim Ritscheli praef. p. IX. Attamen hasce scenas numerorum licentia singulares si cum nostra ex Epidico contulerimus, maximum ad argumentum totumque habitum discrimen intercedere neminem, opinor, fallet. Multum tamen abest, ut a priori, ut aiunt, ratiocinando rem confecturus sim; immo adeamus scenam videamusque, quot tandem sint versiculi, qui sententiae a me defensae re vera obstent. Qua in computatione si quidquid trochaice legi potest, lego trochaice itemque eos versus, quos leni mutatione ac per se sat probabili ad trochaicos numeros revocare licet, emendo, ex iis, quae supra exposui, venia mihi parata esto. Sed pauca de Ambrosiano sunt praemittenda.

Sciendum enim est, exordium fabulae usque ad v. 24 in codice quoque Ambrosiano servatum esse. Qui cum in verbis a Veteris memoria non multum differat, singularem habet paucorum versuum descriptionem, illam tamen adeo miram, ut apud me quidem hac in re fidem suam plane infringat. Post versus enim 1—2 haud dubie qua-

2) Brevitatis causa liceat sic appellare servorum colloquium v. 74 finitum.

dratos v. 3 item quadratum per duos versus dispescit, ut etiam v. 4 ab initio mutilatum, ut eorum haec sit in codice species:

Respice vero Thesprio. O
Epidicumne ego conspicor.
. . . Recte oculis uteris
Salve . Di dent quae (*'velis'* videtur deesse)

v. 5—6 in A. quoque iambicorum octonariorum speciem prae se ferunt, nisi quod is lectionem praebet Vetere codice eo deteriorem, quod *'quid'* pronomen ex v. 7 versui sexto tamquam huc pertinens sub linea adnectit. Sequitur v. 7 sic distributus:

Tu agis ut velis
Exemplum adest. Intellego. Euge.

v. 8 uno versu comprehensus est, v. 9 rursus duobus:

Quam quidem te iam diu
Perdidisse oportuit.

Hinc vero usque ad v. 22 eosdem habet versus, quos Vetus, tum v. 23 tam mire scriptum, ut quod est primum *'ius'* vocabulum solum media in linea positum sit, in sequenti linea tria proxima verba hoc modo:

Ius
Dicis. Me decet

quae quidem verba ea, quae in pagina reliqua sunt, duobus versibus distributa sequuntur, ita, ut prioris exitus fiat pronomine *'quem'* e versu 24.

Singularem et memorabilem in versibus describendis rationem! Quasi vero versus trochaicus septenarius in duas partes distractus venustior fiat aut quasi poeta versus pepigerit monosyllabo vocabulo comprehensos, ut vult illud *'ius'*. Qualium patrocinium suscipere equidem non ausus hac in disputatione de metro scenae a Veteris versuum descriptione proficiscor.

Trochaicos igitur numeros facile agnoscas v. 1—3 [3]). V. 5 ut traditus est, est sane iambicus octonarius a numeris minime vitiosus; tamen subesse vitium intelleges, ubi comparaveris, quos iam supra attuli versus, Bacch. 181, 456, Curc. 306, Stich. 584, Most. 448, 805, Poen. III, 3, 73, quibus sine dubio id evincitur, in tali salutandi formula *'te'* pronomen sermonis usum desideravisse [4]). Quod si pronomen versui reddi necesse est, iambicos numeros versus non amplius admittit, simulque apparet aliquo additamento versum ultra iustum spatium sese extendere; cuius quidem rei plane gemellum exemplum invenimus I, 2, 25. Iam autem non credo poetam inter trochaicos septenarios iambicum senarium inseruisse, qualem v. 4 fecit Engerus:

Certe útere oculis. Sálve. Di dent quáe velis,

sed eum quoque, in libris corruptum, trochaicum septenarium restituendum esse censeo, fortasse sic:

[Pól] recte oculis úteris :: Salve. :: [Ét tu]. Di dent quaé velis.

V. 6 autem ut *'tibi'* dativum deleamus commendat adpositum illud *'quod adsolet'*, quo delcto elegantem recuperamus versum trochaicum. cf. Bacch. 538, Truc. I, 2, 25. Atque v. 7—16 quin sint trochaici septenarii nemo dubitabit; sunt porro trochaici versus 20—21:

Séd is ubist? :: Advénit simul. :: Ubi érgost, nisi si in vídulo

Aút si in melina áttulisti.

Nam v. 20 per se spectatus potest quidem iambicus esse octonarius; sed iambico septenario antecedente, trochaico septenario sequente consentaneum erit eum lenis-

---

3) Numeros sequor vulgatae versusque, ubi non disertis verbis aliud quid significo, tales intellego, quales ea exhibet, nisi quod leviora quaedam in hac quidem enarratione non curo.

4) Truc. II, 6, 23 corruptus locus est.

sima mutatione in versuum genus per hanc scenam regnans recipere. Accedunt ad trochaicos versus v. 23, v. 27—34, v. 37; v. 39—43: (deleto '*quia*' in v. 41) *Caussast qua caussa* —, v. 49 54, quamquam eorum alter mutilatus est, tum v. 56, v. 58—64, turbatissimi in vulgata, sic fere reconcinnandi:

edepol néscio
Quíd tu timidu's: trépidas Epidice. Út video voltúm tuum
[Míhi] videre cómmeruisse hic — etc.

neque minus v. 68—69 '*Quam id argentum — nunc iam*', v. 73—74.

Itaque, nisi quae modo proposui a vero nimis recedere videntur, huius scenae hos iam habebimus versus trochaicos septenarios: 1—16, 20—21, 23, 27—34, 37, 39—43, 49 54, 56, 58—64, 68—69, 73—74.

Atque qui relicti sunt versus cave iambicos credas septenarios esse vel octonarios. Plurimi enim ex eorum numero aut manci sunt aut a sententia ita corrupti, ut sint emendandi et contra meam sententiam nihil valeant, qui sunt hice: v. 17, v. 22, v. 38 (ubi '*percunctanter*' in Vetere), v. 48, v. 55, v. 65—68, denique v. 70—72 item corrupti. Nec plus aliis quibusdam tribuendum erit, si dis placet, iambicis senariis, quod quidem numerorum genus ab hac scena arcendum esse in propatulo est. Pertinent huc v. 22 et v. 44—47, qui erunt, si Brixio credere licebit l. l. p. 15, duo senarii cum octonario coniuncti.

Qui iam soli restant versiculi iambici numeri illi speciem prae se ferentes, hi sunt perpauci: v. 18, cui tamen trochaicos ictus cum Guieto sic reddas:

Quíd erilis nostér? Valetne? Púgilice atque athlética.

tum v. 19, v. 24, hiatu inter '*hominem*' et '*hodie*' vitiatus, ubi nullo negotio transponas: '*Quem hóminem dices*' etc., v. 25, v. 26, cuius '*viminei*' verbum ex '*ulmei*' depravatum esse et ipse vidi et olim post alios perspexit Hermannus

elem. doctr. metr. p. 161, v. 35—36, quorum in priore vide, ne '*id*' illud, quod versum incipit iambicumque reddit iusta caesura carentem, ex personae nota '*EP*' librariorum culpa ortum sit; postremo v. 47, etiam si '*ventust*' scribas, octonarius pessimus.

Calculis ita subductis cum totam scenam ex trochaicis septenariis debere consistere statuo, haud vereor, ne ego potius temeritatis nomine compellandus videar prae iis, qui librorum memoriam tot sordibus obrutam temere secuti Plauto quamlibet metrorum permutationem obtrudere ausi sunt. An varietatem delectare recordantes hanc nullam iudicemus temeritatem, cum Bothius inde a v. 44 numeros hoc se ordine excipere iubet: 44—45 i. s.; 46—47 i. t.; 48 as. t. d. i. d. c.; 49 i. t.; 50 i. s; 51, 52 t. t. c.; 53 i. t.; 54 t. t. c.; 55 as. 2. an. etc., aut cum Weiseus in temperatum illud diverbium longam versuum dimetrorum seriem infert! Sed haec ad sententiam meam defendendam satis sunto. Prodeat nunc scena ipsa trochaicis septenariis tota perscripta, ut et intellegatur, quam sit ei eorundem numerorum continuitas aptissima et ut quod omnino consilio a me instituto a librorum memoria obstat complectar oculisque subiiciam. Adponam igitur Veteris codicis discrepantem scripturam omnem a Pareo enotatam et, ut par est, earum emendationum, quas ab aliis factas repperi probavique, ubi potero, auctores nominabo.

Ep. Heús adulescens! Th. Quís properantem mé reprehendit pállio?
Ep. Fámiliaris. Th. Fátcor: nam odio's nímium familiáriter.
Ep. Réspice vero, Thésprio. Th. O, Épidicumne ego cónspicor?

VP. i. e. Vetus ex diserto Parei testimonio, Vp. i. e. Vetus ex Parei silentio. 1 reprehendit : *Gulielm. Verisim.* III, 9 prehendit: VP. 3 verod Hesprio : VP.

Ep. [Pól] recte oculis útcris. Th. Salve. Ep. [Ét tu.] Di dent quáe velis.
[Té] venire gaúdeo. Th. Quid céterum? Ep. Quod ádsolet
Céna dabitur. Th. Spóndeo. Ep. Quid? Th. Me ácceptururn sí dabis.
Ep. Quíd tu agis? Ut valés? Th. Exemplum adést. Ep. Intellego: Eúgepae!
Córpulentiór videre atque hábitior. Th. Huic grátia.
Ep. Quám quidem te iám diu depérdidisse opórtuit.
Th. Mínus iam furtificús sum, quam antehac. Ep. Quíd ita? Th. Rapio própalam.
Ep. Di ímmortales [te] ínfelicent, út tu is gradibus grándibus!
Nam út apud portum té conspexi, cúrriculo occepí sequi,
Víx adipiscendí potestas módo fuit. Th. Scurrá's Ep. Scio
Te ésse quidem hominem mílitarem. Th. Audácter quamvis dícito.
Ep. Quíd ais? perpetuón valuisti? Th. Varie. Ep. Qui varié valent
Cáprigenum hominum nón placet mi néque pantherinúm genus.
Th. Quíd tibi dicam, nísi quod est? Ut válui, respondí. Ep. Probe.

4 *quaecunque uncis inclusa sunt, ipse addidi.* Recte : AR, *Scaliger* Certe : Vp. *cf. Stich. 90.* 5 Venire salvom gaudeo : Vp — quod eo adsolet : VP. *cf. Bacch. 184.* 6 Cena tibi dabitur : Vp. 'tibi' *deletum iam a Guieto.* 7 Quid tu? agis ut velis : VP. *corr. Camerarius.* — 'adest' : *veteres,* 'adesse' VP. — eugepae : *veteres,* euge: VP. 8 habitior : *vet.* agilior : VP. 9 deperdidisse : *Camerar.* perdidisse VP. *Melius procedant numeri, si scribamus:* Quám quidem [hercle] iám diu te pérd. — 15 agis: Vp. — perpetuen VP. *olim corr.* 17 tibi vis dicam : Vp. — 'Ut valui respondi. Ep. Probe'.

Quíd erilis nostér? Valetne? Th. Púgilice atque athlétice
Ep. [Eú], voluptabilem ádtulisti tuó mi adventu núntium.
Sed is ubist? Th. Advénit simul. Ep. Ubi érgo'st, nisi si in vídulo
Aút si in melina ádtulisti. Th. Dí te perdant! Ep. Té volo!
Pérconctanti [sí] operam das, ópera reddatúr tibi.
Th. Iús dicis. Ep. Me décet. Th. Iam tu autem nóbis praeturám geris?
Ep. Quem hóminem dices dígniorem esse hódie Athenis álterum?
Th. Át enim a praeturá tua, Epidice, [únum] abest. Ep. Quidnám? Th. Scies.
Líctores duo, duo úlmei fascés virgarum. Ep. Vaé tibi!
Sét [tu] quid ais? Th. Quíd rogas? Ep. Ubi árma sunt Stratíppocli?
Th. Pól illa ad hostes tránsfugerunt. Ep. ármane? Th. Atque quídem cito.
Ep. Sérione dícis istuc? Th. Sério, inquam: hostés habent.
Ep. Édepol facinus ímprobum! Th. At iam ante álii fecerúnt idem.

scripsi Brixio duce, qui proposuit (emend. Plaut. p. 6): Quid tíbi vis dicam, nísi quod est? Ut válui respondi probe'. Ut illi respondi probe : VP. 18 noster? Valetne?: *Guietus.* noster filius? Valet?: Vp. 19 Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu adtulisti. sed ubi : Vp. 20 Est is? adveni : Vp. ubi is egost : VP. 22 Percontari : Vp. — das : M, da : Vp. reditur : VP. 24 'hominem' *post* 'esse' : Vp. 25 enim : M. unum : Vp. 26 ulmei : *nescio quis primus,* viminei VP. *Durior quidem est spondeus legitimae caesurae loco, sed tamen tolerandus. cf. Trin. 982. Stich. 589. Ritschl. prol. in Plaut. p. 235.* 29 Dicis istuc : *Brix., emend. Plaut. p. 9.,* dicis tu : Vp.

Érit illi illa rés honori. Ep. Quí? Th. Quia ante aliís fuit.
Ep. Múlciber, credo, árma fecit, quaé habuit Stratíppocles:
Trávolaverúnt ad hostes. Th. Túm ille prognatús Theti
Síne perdat: alia ádportabunt éi Nerci fíliae
Ep. Módo videndumst, út materies súppetat scutáriis
Síngulo in stipéndio si ad hóstes exuviás dabit.
Th. Súpersede istis rébus. Ep. Iam tu ipse, úbi lubet, finém face.
Th. Désiste [ergo] pérconctari. Ep. Elóquere, ubist Stratíppocles?
Th. Caússast, qua caussá simul mecum íre veritu'st. Ep. Quídnam id est?
Th. Pátrem videre sé nevolt etiám nunc. Ep. Quaproptér? Th. Scies.
Fórma lepida et líberali cáptivam adulésçentulam
Dé praeda mercátust. Ep. Quid ego ex te áudio? Th. Hoc, quod fábulor.
Ep. Cúr eam emit? Th. Ánimi caussa. Ep. Quót illic homo animós habet?
Nám certo [sció] priusquam hinc ád legionem abiít domo,
Ípse [hoc operis] mándavit mihi áb lenone ut fídicina
Quám amabat, emerétur sibi: id ei ímpetratum réddidi.

31 ante : *Ritsch. Mus. Rhen. vol. 7, p. 570* antea : Vp. 33 ,Tum — filiae' *laudat Priscianus II. I*, 252. 35 Modo : M. Id modo : Vp. 36 Si in singulis stipendiis is ad : Vp. *cf. Cist. IV, 2, 34.* 37 rebus iam. Ep. Tu : Vp. — 'ibi' *pro* 'ubi' VP. *corr. olim. versum Nonius laudat p. 28 G.* 38 'percunctanter' *et* 'loquere ipse ubi' VP. 'ipse' *ex versu, qui antecedit, huc irrepsisse videtur.* 39 Est caussa : Vp. 40 se nevolt : *Herm. elem. doctr. metr. p. 161*, senem volt : VP. 41 Quia forma : Vp. 44 ad legationem : VP. *olim corr.* 46 'ei' *Brixius addidit, l. l. p. 15, sed ad versum iambicum octonarium supplendum.*

Th. Útut in alto véntu'st, Epidice, éxim velum vórtitur.
Ep. Váe misero mihi! Pérdidit me! Th. Máli quid istuc? Quídnam [id] est?
Ep. Quíd? istanc, quam emit, quánti eam emit? Th. Víli. Ep. Haud istuc té rogo.
Th. Rédde id igitur. Ep. Quót minis? Th. Tot. Ep. [Hém], quadragintá minis!
Th. Id adeo argentum áb danista apud Thébas sumpsit fáenore
'In dies minásque argenti síngulas nummís. Ep. Papae!
Th. Ét is danista advénit una cúm eo, qui argentúm petit.
Ep. Di ímmortales, út ego interii básilice! Th. Quid iam aút quid est?
Épidice? Ep. [Ille] pérdidit me. Th. Quís? Ep. Ille qui arma pérdidit.
Th. Quíd ita? Ep. Quia cotídie ipse ad me áb legione epístulas
Míttebat. Sed óptumumst taceám. Plus scire sátius est,
Quám loqui servom hóminem; east sapiéntia. Th. Edepol néscio,
Quíd tu timidu's. Trépidas Epidice; út video voltúm tuum
[Míhi] videre cómmeruisse hic me ábsente in te aliquíd mali.

47 'utut' *scripsi dubitanter*, utcunque : Vp. — ventus est : Vp. — *tum* 'exin', *quod corrigit Ritsch. mus. Rhen. vol. VII, p. 475. Conferri potest Poen. III, 6, 9.* 48 male perdidit me. Th. Quin istuc : Vp. 50 Reddigitur : VP. 54 balisce : VP, *olim corr.* 55 arma perdidit : M. perdidit arma Vp. 56 Numquid ita : VP. 57 sed taceam optumum est : Vp. *Hinc usque ad v. 70 in Vetere singulorum versuum spatia perturbata sunt.* 58 ea sapientia est. Th. Nescio edepol : Vp. *Hic tamen versus a caesura minime nitens vereor ne graviore clade pessumdatus sit.* 59 'ut video voltum tuum' *scripsi Acidalio duce, qui Divinat. in Plaut p. 169* 'uti voltum tuum video' *legendum proposuit.* 'ita voltum tuum video' : Vp.

Ep. Pótin molestus né sies? Th. Abeo. Ep Adsta, abire hinc nón sinam.
Th. Quíd nunc retines mé? Ep. Amatne istam, quam émit de praedá? Th. Rogás?
Déperit. Ep. [Hei], détegetur córium de tergó meo.
Th. Plúsque amat quam te únquam amavit. Ep. Iúppiter te pérduit!
Th. Mítte nunc iám [me]. Nam ille [dúdum] me votuít domum
'Ire: ad Chaeribúlum iussit húc in proxumum: [átque] ibi
Sé manere: Eo ipsús venturu'st. Ep. Quíd ita? Th. Dicam: Quía patrem
Príus se convenire non volt néque se conspicárier,
Quám id argentum, quód debetur pro illa, dinumeráverit.
Ep. Heú, edepol res túrbulentas! Th. Mítte me ut eam núnc iam
†Haecine ubi scíbit senex, puppis pereundast probe.
Th. Quíd istuc ad med áttinet, quo túte interbitás modo?
Ep. Quía [ego] solus nólo, mecum té cupio perbítere
Bénevolum cum bénevolente. Th. Abi in malam rem máxumam
Cum ístac condicióne. Ep. I sane, sí quid festinás magis.

61 Potin ut molestus ne sis : VP. 62 me retines : Vp. 63 'degitur corium de tergo meo' *Nonius p. 191 G.* 66 Ire : M., Venire : Vp. 67 'Manere se iussit ('se' *manu secunda* VP.) eo venturus est ipsus : Vp. 68 conspicari : Vp. 70 'eu' : VP. *corr. olim.* 71 *Corrupti versus medelam non inveni.* 72 med attinet, quo tute : *Bothius*, me attinet quo tu : Vp. — interbitas: M. intereas : Vp. 73 Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum : Vp., *de quo versu vide quae infra disputavi* p. 38. 74 Benevolum : M., Benevolens : Vp. — maxumam a me : Vp. *in fine; corr. Guietus.*

Numquam hominem quemquam conveni, unde ábierim lubéntius.

Praeter ea, quae ipsi scenae praemisi, pauci sunt loci, qui ut intelligatur, qua ratione usus tralaticiam scripturam emendare conatus sim, singulari egeant disputatione. Atque primum agamus de v. 21 et 22, qui vulgo, cum *'percontari'* infinitivus in Vetere traditus cum verbis, quae antecedunt Epidici *'te volo'*, eodem enuntiato comprehendi soleat, arcte cohaerent. Weiseus his verbis duplicem tribuit vim, *'ut partim suppleatur 'di perdant!', partim referantur ad percontari'*. Agnoscam hunc in ambiguitate lusum, si, ne inepta evadat ambiguitas ista, verba *'te volo percontari'* etiam simpliciter coniuncta omni careant offensione. Quod tamen aegre persuaderi mihi patiar. Quis enim non miratur, postquam servi iam aliquantisper inter se collocuti sint, eorum alterum nulla prorsus causa intercedente tamquam ex abrupto alteri declarare, se quaedam ex eo percontari velle? Quasi vero non iam tam multa esset ex eo percontatus. Qualis declaratio in ipso initio colloqui haud fuerit satis lepida, at vero hic medio in colloquio sine iusta causa posita plane videtur intolerabilis. Et ut aliquis, cuius stomachum non invideam, hanc molestiam possit concoquere, qui factum dicet, ut verbis *'operam da, opera reddatur tibi'* tanto opere oraret Epidicus, quod ei ab altero dudum sine prece concessum est quodque ei iam recusari nulla ex re apparet. Sed ne longus sim in librorum scriptura reprobanda, videtur mihi Thesprio conservi sui facetiis paullum irascens cum verbis: *'Di te perdant!'*, ut saepius fit, se ab illo ut abeat avertere, ut hinc causa nascatur, ad quam Epidici verba quae sequuntur referenda sint. Si vero hic illum apud se retinere vult, desideramus locutionem, qua alterum qui retinent compellare solent. Unde profectus posui, quod in textu vides. Servamus sic ambiguitatem sermonis Plauto sane dignam conexuque duorum versuum ita soluto ver-

bis *'te volo'* illud ipsum, quod desiderabamus, satis significatur. Est enim *'te volo'* locutio eorum, qui alterum apud se retinere cupiunt, ut docent v. Trin. 516, 717, 1059. Curc. 391, 686. Pseud. 250, qui quidem locus nostro simillimus est.

2) Misere corrupti sunt numeri versuum 65—67, qui sic in Vetere describuntur:

Ep. Iuppiter te perduit! Th. Mitte nunc iam; nam ille me votuit domum
Venire: ad Chaeribulum iussit huc in proxumum: ibi manere se iussit
Eo venturus est ipsus. Ep. Quid ita? Th. Dicam. quia patrem.

Ubi tamen non dubium mihi videtur, quin verba: *'mitte nunc — domum'* complere versum debeant, ut aliquas excidisse syllabas colligendum sit. Atque etiam minus dubitationi obnoxium est, quin veniendi verbum, quod sane alteri versui iambici speciem induit, ab hoc loco prorsus alienum sit et cum **eundi** verbi infinitivo mutandum. Nam ex certissima sermonis lege, quae quin omnium linguarum communis sit, vix ambiguum est, aliquem domum venire vetat is, qui ipse domi est aut se ibi futurum esse sumit, nullo modo potest, qui est extra nec ipse domum iturus est, ut Stratippocles. Tum vero hoc altero in versu duplex illud *'iussit'* non fero conseoque coniunctiva *'et'* vel *'atque'* particula adsumpta, ut altero loco verbo carere possimus, curandum esse. Quae qui probaverit iam paucis lenibusque mutationibus adiunctis tres recuperabit trochaicos septenarios. Pro quibus apud Bothium exstant v. as. t. d. i. d. c., i. s., t. t.; apud Iacobum: t. t. ac., i. s., t. t. ac.

3) Postremo videndum est de v. 72—74 non mediocrem in libris cladem expertis; qui quales ex Vetere vulgo circumferantur, ex adnotatione scenae subiunctae cognoscitur. Sed, ut hinc exordiar, non memini me ullo loco

Plautino legere *'Abi in malam rem maxumam a me'*, cum locutiones, quales sunt: *'Abi in malam crucem, abi in malam rem maxumam'* persaepe occurrant. In talibus autem formulis cum constantissimus usus regnare soleat, etiam lippus homo, credo, videbit, hoc loco *'a me'* voculas ex postrema anterioris vocabuli syllaba perperam iterata ortas esse. Neque minus manifestum est mendum in initio versus latens. Quoniam enim verba *'cum benevolente'* ad *'mecum'* referenda sunt, sequitur, ut *'benevolens'* ad *'te'* pronomen referendum sit, ad quod tamen ut nominativus ad accusativum non quadrat. *'Benevolentem'* autem formam versus non admittit. Iam igitur, nisi qui verborum, quae antecedunt, structuram plane immutare velit ac pervertere, non negabit necesse esse, ut pro *'bevevolens'* accusativum *'benevolum'* restituamus; quae adiectiva quam habeant parem vim et usum vel ex Stichi v. 385 cum v. 391 collato intellegitur. V. 72 in altera editione Bothius pro cretico habuit, antea eum paullo prudentius asynartetum esse versum ratus *'tute'* pro simplici *'tu'* posuerat, huius loci rationi sane convenienter, invexeratque, quam item amplectar, antiquiorem accusativi *'med'* formam [5]). Quae ab eo bene novata in meum usum convertens, ut asynartetorum artificio carere possimus, nihil ultra moliendum duco, quam ut etiam intercundi verbi vicariam rarioremque formam restituentes scribamus:

Quíd istuc ad med áttinet, quo túte interbitás modo?

---

1) Nam Umpfenbachius, meletem. Plaut. cap. I, med et ted accusativos omnino non exstitisse mihi non probavit. Nam etsi quattuor, qui eorum exstant testes, inscriptiones, grammatici, codices Palatini, versuum Plautinorum ope eorum emendatorum multitudo, singuli fidem non meruerint, coniunctorum consentiens memoria maximam habet auctoritatem. Neque ullam cur hanc auctoritatem spernamus, causam invenio, quoniam ipse Umpfenbachius statim in initio capitis sat probabilem formae illius explicandae rationem demonstrat.

Iam his duobus trochaicis septenariis tam facili negotio restauratis quis a tertio his ambobus interposito cautius quam e ratione manus abstineat? Num Plautum credibile videtur in deliciis habuisse talem in pangendis versibus inconstantiam, ut in eodem enuntiato nulla causa metrum variaret? An quisquam idem ut trochaico septenario comprehenderet ei non contigisse serio contendet? Sane, primo quidem aspectu integerrimus videtur esse versus, sed acrius instanti maculae tamquam sub superficie latentes clare perlucent. Primum enim hic versus octonarius *'perire'* infinitivum in utroque membro habens mirum quantum languet, quod quae sit offensio aures Plautinorum versuum elegantia et alacritate adsuetae facile profecto sentiunt. Accedit aliud, in quo etiam gravioris invenio suspitionis ansam. Observasse enim videor, ubicunque ad verbi alicuius personam primam solus adiectivum ita apponatur, ut non praedicati vice fungatur, usu fere constanti verbo a Plauto addi pronomen personale *'ego'*. Cuius usus quae inveni exempla, haec habeto:

Amph. 425: quod egomet solus feci.
Asin. 163: Solus solitudine ego ted abstuli.
Ibid. 513: sola ego in casteria || Ubi quiesco.
Aul. IV, 8, 2: Ego solus supero.
Epid. III, 2, 28: Deveniam ad lenonem — egomet solus.
Bacch. 1089: Solus ego omnes antideo.
Most. 880: Solus ego nunc eo advorsum, *ubi 'ego' a Ritschelio recte additum est.*
Ibid. 1126: Nunc ego solus sum orator datus.
Pseud. 807: Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Ibid. 908: qui loquar haec mecum egomet solus.
Pers. 779: Solus ego omnibus antideo.
Stich. 646: Iam hercle ego decumbam solus.
Trin. 1149: Quid ego ineptus solus sto.

Deest pronomen Most. 776 *'qui solus facio'* sed in enuntiato relativo, neque magis repugnat Men. 957: *'abiit me-*

dicus, solus sum', quippe quo versu praedicati locum obtinet, sic ut Cas. II, 2, 3: *'Nam ubi domi sola sum'* et prorsus similiter Rud. 201, Truc. II, 1, 1. Prorsus singularis est ratio v. Mil. glor. 265. Duo tantum in hac multitudine exempla constantem usum relinquunt: Cpt. 602: *'Solus te solum volo'*, Stich. 599: *'Solus cenabo domi'*, ut nesciam an in his contra libros ex ceterorum similitudine *'ego'* pronomen inferendum sit. De quo utut iudicabis, hoc quidem concedendum erit, eo, de quo agimus loco, pronomen ab ipso poeta non omissum fuisse veri non admodum esse dissimile. Quare si altero *'perire'* infinitivo explicandi gratia aut calami errore adscripto pronomen illud haustum esse suspicamur, quid probabilius, praesertim cum nunc, modo rarius illuc verbum, quo superiorem versum emendare licebat, ut par est, huc quoque adsumamus, facile optimum recuperemus versum trochaicum septenarium, quem supra posui. Eiusdem verbi rarioris sane ideoque non uno loco depravati exempla hac ipsa in fabula tria praeterea habemus: I, 2, 42 *imbitas*, II, 2, 119 *abitas*, III, 4, 1 *praeterbitas*. Ipse *'perbitere'* infinitivus servatus est Pseud. v. 778, quo revocavit Ritschelius Paulli glossam: *'perbitere Plautus pro perire posuit'*. Breviloquentiam autem a me invectam ne a sermone usus cotidiani alienam putes, talia cavebunt exempla, qualia habes: Aul. II, 8, 20, Rud. 1075, Cap. III, 2, 18, Ter. Heaut. 949.

Quae inde a v. 75 sequitur Epidici oratio, eam integerrimi exordiuntur quattuor versus trochaici septenarii, quos, ut optime perspexit A. Spengelius [6]), cretici excipiunt dimetri cum trochaicis septenariis alternantes usque ad v. 85. Hinc vero usque ad finem rursus trochaicos

6) A. Spengel, T. Maccius Plautus, Gotting. 1865 p. 165, quem tamen librum his quattuor capitibus iam conclusis et ad finem perductis accepi.

habemus septenarios, quorum tres primi, in quibus Spengelius quidem tria versuum genera statuit [7]), sic scribendi videntur:

Ep. At enim praecave! — Nihil est istuc, plane hoc
corruptum'st caput — [8])

7) Omnino mihi eius in versibus describendis ratio iusto ac firmo carere videtur fundamento. Scilicet adhaeret nimis librorum sordibus easque, cum maximam in numeris varietatem Plauto vindicet, tam facili negotio quam vere Plautina digerit numerisque exornat. Velut hac ipsa in scena v. 59 (nam in iis, quae de aliquot Epidici locis statuit, me continebo) metiendo vulgatam tuetur lectionem, quamvis meras ineptias praebeat: — *trepidas Épidicé, ita vóltúm tuum* ‖ *Videó* i. e. Du zitterst, Epidikus, so sieht dein Antlitz aus. — Ibidem v. 71 si scribi vult (p. 150):

. Dómum venire ad Cháeribulum iússit huq in próxumum
'Ibi manere iússit.

secum repugnantia, quae sunt '*domum venire*' et '*venire ad Chaeribulum*' sociat atque duplici '*iussit*' servato languidissimum orationis genus vivacissimo infert scriptori. — Ibid. v. 81 in tralaticia acquiescit scriptura:

'Is suo filio
Fídicinam emit, quam ípse amavit, quam ábiens mandavit mihi

nihil curans '*ipse*' pronomen sic necessario de sene accipiendum esse, qui tamen nati amicam minime deperit. Quod etiam Lachmannum fugisse videtur, comm. in Lucr. p. 290 hunc versum laudantem. Emendavit locum Iacobus pro '*ipse*' '*ille*' pronomen revocans. — III, 2, 19 quod traditum est '*inveniam*' futurum retinet (p. 218), quamquam Epidicus pecuniam, qua quidem auxilium ferendum erat, iam Stratippocli in manus dedit. — II, 2 a v. 12 usque ad ultimum scenae versum 120 versus leguntur sine ullo dubio trochaici septenarii; nihilominus Spengelius (p. 139) in loco, quem restitutum legis proll. in Plaut. p. 87, in tam longam trochaicorum versuum seriem unum infert iambicum dimetrum acatelectum: *Perii hércle, quid ego ex te aúdio?* — Sed typothetae culpandi erunt, si p. 166 Stratippocles '*alterum*' Thebis adduxisse dicitur vel si pag. 139 Epidicus se in *hirundinem* (lege: *hirudinem*) se conversurum esse promittit.

8) Enim : M. enim tu : Vp.

Néquam homo's Epídice — Quí [mi] tíbi lubidost
mále loqui? —
Quiá tu tete déseris. — [Sed] [9]) quíd faciam? — Men
tú rogas?

Sic omnis oratio in tres dividitur partes, quarum in media servus de se prima persona utens loquitur, in duabus reliquis eodem numero scriptis secum tamquam cum altero colloquium habet. Ceterum Spengeli de metro v. 79—85 sententia confirmatur codicis rescripti auctoritate, quippe in quo totam paginam tenuerint undecim vulgatae scripturae versus 76—86.

IV.

A vocalis num in casu recto primae quam vocant declinationis apud Plautum producatur.

Tres hi ex Epidico versus:

I, 1, 39: Ést caussa, qua caússa simul mecum íre véritu'st. :: Quídnam id est?

III, 4, 62: Potuít: plus iam sum líbera quinquénnium.

IV, 1, 40: Fác videam si mé vis vivere. :: Ého, istinc, Canthará, iube

in causa fuerunt, ut ad quaestionem adgrederer, quam his temporibus viri docti cum quodam studio susceperunt, quae est de mensura a vocalis nominativi primae declinationis in Latinis vocabulis propriae. Atque in universum quidem hoc iam extra omnem dubitationem positum est, eam vocalem in vetustiore lingua productam esse, ut nunc qui-

9) 'Sed' *suppeditavit amicus.*

dem quam ad aetatem duraverit hic usus quaeque eius extent apud veteres exempla quaerendum sit. Quod quaestionum genus multum habet delectationis. Ut iuvat, ubi nova aliqua veteris linguae proprietas vel ex vetustissimis inscriptionibus vel ex linguarum Latinae cognatarum comparatione vel aliunde primum cognita est, huc intentum priscae Latinitatis quae servata sunt monumenta — Plautus vero inter ea nobilissimum tenet locum — perscrutari, num forte rei per tot saecula oblitteratae unum alterumve indagari possit vestigium. Hoc enim ubi deprehenditur, quae vera ac genuina fuerit loci forma tamquam in oculos incurrit nec raro fit, ut hinc res in arte critica magnae mirum in modum illustrentur. Sed ex altera parte quanta hoc ipsum genus eget cautione, ne antiquae et praeclarae memoriae agnoscamus vestigia, ubi nihil subest nisi librariorum ignorantia et socordia! Qualis cautio cum omnino adhibenda sit, tum Plautinarum fabularum memoria et condicione maxime flagitatur. Nam in hoc uno ore omnes consentiunt, Plautinorum librorum memoriam corruptissimam esse, adeo, ut fere nihil sit, quod non sit a Plauti librariis peccatum, nihil, quod non exemplis hinc depromptis possit defendi. Quare spero harum rerum peritos non miraturos esse, si exempla ad *'a'* illius productionem Plauto vindicandam adhuc prolata [1]) non sine aliqua severitate examinabo, ceteroquin argumentationem ab ira et studio aeque remotam profitens.

Disputationis hic erit ordo, ut primum versus examinem, qui ex Plautinis fabulis tamquam *'a'* productae exempla iam prolati sunt, tum eos enarrem, quos ipse ex quattuordecim fabulis conquisivi. Perscrutatus enim sum praeter ipsam Epidicum novem fabulas Ritschelianas, Tru-

1) Amplissima eorum collectio apud Fleckeisenum exstat, 'Kritische Miscellen' 1864 pag. 11 sq., qui etiam quae de universa hac quaestione adhuc scripta sunt accurate enarravit.

culentum et, quarum in codice Ambrosiano nihil servatum est, Amphitruonem, Asinariam, Curculionem. Canticorum tamen liberiorumque metrorum rationem non habui, quod qui eorum noverit condicionem tenebitque in tali quaestione a certioribus proficiscendum esse non improbabit.

Ex his quantum a ratione Fleckeiseno in hac re probata mea differat statim apparebit. Is enim, ex quo *'a'* illud ab origine longum fuisse longumque usurpari in versibus Saturniis demonstratum sit, nihil obstare censet, quin etiam Plauto, sicubi versiculi alicuius species admittat et commendet, huius vocalis productionem vindicemus; mihi contra ex rudi et Latinorum proprio metro Saturnio in artem Graecanicam nihil videtur calidius transferendum esse, sed secernenda esse genera arbitror ex suisque utrumque reliquiis interpretandum. Quocirca certa tantum exempla agnosco statimque reiicio, quae in primis attulit Fleckeisenus l. l. p. 16:

Trin. 837: Rúere antennas, scíndere vela —, ní tua propitiá pax praesto [2])

Ps. 948: ibidem úna aderit muliér lepida, tibi sávia suavia qúae det [3])

quorum posteriore nihil evincitur, quoniam *'lepida'* ante caesuram versus tetrametri anapaestici positum est, quem versum *'ut alios tetrametros Plautus asynartetum esse voluit: unde et hiatum in caesura sibi permittit et productionem syllabae brevis'* [4]). Neque, ut largiamur offensione carere coniunctivum verbi substantivi omissum, in tali librorum discrepantia versus ex Trinummo petitus certum praebet exemplum; quem simili ratione usus Bergkius in diurn. antiqu. anni 1852 sic scribendum proposuit: *'ni tua pax propitia praesto'*.

2) Propitia pax : *Fleck.* propitia pax foret : A, pax propitia foret : *reliqui.*

3) Sic Büchelerus, Iahn. ann. phil. tom. 87 p. 783.

4) Verba sunt Godofr. Hermanni el. d. m. p. 405.

Ex tribus, quos Corssenus attulit locis[5]):

Bacch. 255: Volcánus, Sol, Luná, Dies, di quáttuor
Asin. 762: Ne epístula quidem úlla sit in áedibus
Epid. III, 4, 62: Potuít: plus iam sum líbera quinquénnium

primum ex Bacchidibus olim a Guieto '*Luna Sol*' transponente haud dubio iure correctum esse ipse Fleckeisenus contendit. Atque idem valet de eiusdem fabulae v. 893:

Minérva, Latoná, Spes, Opis, Virtús, Venus

quo loco plane gemello non video cur Corssenus non item pro sententia sua usus sit; sed versum durissimo numero vitiatum facillima emendavit transpositione idem Guietus scribens:

Minérva, Spes, Latóna, Opis, Virtús, Venus.

Verum quae restant exempla a Corsseno allata sane graviora sunt, de quibus infra videndum erit.

Vocamur ad Pseud. v. 59:

éi reí dies
Haec praéstitútast próxuma Dionýsia

ubi Ritschelius, ne '*proxuma*' vox dactylica in ultima syllaba acueretur, post eam '*ad*' praepositionem inseruit. Quam emendationem fatetur se non probare Sauppius, quaest. Plaut. p. 4; in eo enim dactylicorum vocabulorum accentu omnino non esse offendendum. Atque Fleckeisenus quoque '*ad*' illud supervacaneum censet additamentum, non tamen eandem ob causam; is enim adiectivum ad '*dies*' refert pedemque declarat creticum nimirum ex libertate Plauto concessa. Sed haud dubie opinio doctissimum virum fefellit. Nam etsi hac ipsa in coniunctione '*dies praestituta*' substantivum feminini semper generis est, hoc tamen nullam aliam habet causam, nisi quod '*dies*' verbum ibi non spatium viginti quattuor horarum significat,

---

5) Corssen., 'Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache'. I, p. 330.

sed tempus definit, quod rei alicui gerendae constitutum est, cf. Pseud. v. 374, 623. Terent. Phorm. 524[6]. Qua ex re Fleckeiseni locum interpretandi rationem ab eo abhorrere manifestum est, ut hic quidem versus extra fines quaestionis nostrae relegandus sit[7].

Porro nihil talibus demonstratur versiculis, quales sunt:

Asin. 175; Úbi lena bene agát cum quiquam —
Pseud. 964: Péregrina faciés videtur —
Trin. 852: 'Iluriea faciés videtur —

quippe in quibus etiam brevi vocali non maior offensio, quam velut Menachm. v. 991: *'Sápienter habeátis'* et v. 1061 *'Fácietis ut ego'*. Idem dicendum est de Most v. 866:

Mihí molestus né sies. :: vide, ut fastidit simia.

ubi cum haec sit in posteriore parte librorum scriptura, non maiore negotio cum Ritschelio sic corrigas: *'vide símia ut fastídit'* quam ut vult Fleckeisenus: *vide ut símia fastídit.*

Transgrediendum nunc est ad vocabula origine graeca, quae in *'a'* desinentia primae sunt declinationis. Videri enim potest eorum condicio singularis esse, ut cum vocabulis vere Latinis permisceri non debeant. Et est sane singularis apud aliquot posterioris aetatis poetas dactylicos[8]. At Plauti aetate et consentaneum est et ex varia librorum memoria constat, quaecunque ex graeca lingua in suam transferrent vocabula Romanos suis aptavisse oribus auribusque[9], ut etiam, ubi talium vocabulorum latinae

6) v. Reisig., 'Vorlesungen über lat. Sprache' p. 148.

7) Cave ne in Ritscheli quoque lectione adiectivum ad *'dies'* trahendum existumes. *'Proxumus'* enim adiectivum apud comicos quidem cum *'ad'* praepositione non coniungitur. Ceterum poeta in hoc tempore definiendo sibi non constitit, quod intelleges coll. v. 60, 82 cum v. 623 et 373.

8) Cf. Lachm. comm. in Lucr. VI, v. 971.

9) v. mus. Rhen. tom. VIII, p. 475, XII, pag. 99, 473.

formae cum graecis congruant, tenendum sit rem nobis esse cum vocabulis tamquam latina veste indutis. Itaque, ut exempla afferam, concedendum erit a vocalem in nominibus, quae apud Plautum occurrunt, '*Canthara, Palaestra, Aetna*' non diversam esse ab a vocali in vocabulis '*Sosia, Latona, tarpessita*', similibus. Iure igitur, quod ad hoc quidem attinet, Fleckeisenus tales quoque versus in suum usum convertit, quales habes:

Epid. IV, 1, 40: Fác videam, si mé vis vivere :: Ého istinc, Canthará, iube

Assin 739: Leónida, curre óbsecro, patrem húc orato ut véniat.

a quibus ad nostram quidem quaestionem non differt, quem ipse adiungo:

Curc. 192: Ébriola, persólla, nugae — [10]).

Sed ne haec quidem multum valere puto. Compara enim inter se: in omnibus verbum, de quo agitur, exclamantis esse reperies, ut non sis dubitaturus, quin talia non probent a vocalis productionem, sed e pausa omni exclamatione necessario oriente sit explicanda. His ut simile aliquid afferam, quis tandem:

Curc. 599: Phaédrome, properá. :: Quid properem? — vel adeo eiusdem fab. v. 166:

Pálinure, Palinúre

haec tamquam uno eodemque anhelitu dicta esse sibi informabit? Vix errabimus, in talibus si pausam factam esse sumemus, quam ob solam brevem syllabam potuisse arsim ferre; nec fuit alia causa, cur poetae in vocibus exclamationi inservientibus tam frequentem sibi hiatum permitterent.

Mil. Geor. v. 1065 pro septenario anapaestico haece tradita sunt:

---

10) Vp. : Ebriola persolet nugae — 'persolla' *manus secunda*. ebriolae persolla : *Fleck. in editione.*

Tum argenti montis, non massas habet: ethna mons
non aeque altos

nisi quod verba *'Aetna mons'* Vetus codex omittit. Versus quomodo sit emendandus in incerto est. Sed etiam si Lachmanni rationem amplectimur scribentis:

Túm argénti mons. :: Nam mássas habet: Aetná mons
non aeque áltust.

per usum Plautinum non prohibemur, quin alio potius loco *'est'* copulam inseramus [11]):

Aetnást mons non aeque áltus.

Firmat Fleckeisenus sententiam suam etiam Amph. v. 439:

Ubi ego Sosiá nolim esse, tu ésto sane Sósia

quem ipse olim *'esse nolim'* transponens correxerat. Potuit igitur ei videri credibile *'nolim'* verbum, quod quidem, si logicum pondus spectes, illo loco longe gravissimum est, nulla causa ab ipso poeta in thesi prorsus obscuratum esse. Quod quam abhorreat non ab arte Plautina solum, sed omnino a sana ratione, non est pluribus persequendum. Itaque non erit, cur mihi irascatur ille, si contra eum certissimam ipsius emendationem defendo.

Cum hoc, de quo dictum est, versu coniunxit:

Amph. 483: Quís ego sum saltém si non sum Sósia?
te intérrogo.

Ibid. 1024: Sósia. :: Ita: sum Sósia, nisi me ésse oblitum exístumas.

Quorum tamen prior, ubi de evincenda huius *'a'* productione agitur, ne debet quidem proferri, alter plenam demonstrandi vim non habet, quia poetam quaedam in hoc genere, in acuenda dico ultima dactylicae vocis syllaba, sibi indulsisse fatendum est. Quod ut non multis sane, quae in libris Plautinis exstant, exemplis credam, inprimis illud me movet, quod poetae scenici, qui dactylicam vocem in versu pro trochaeo non nisi quibusdam condicionibus

11) v. Ritsch. prol. in Plaut. p. 107.

ponebant neque alteram in tali voce syllabam nisi in primo pede versus arsi efferebant [12]), iam his ipsis legibus in dactylicis vocabulis quam in ceteris longe angustioribus finibus erant conclusi. Ceterum idem sensisse videtur Ritschelius, cum nihil mutaret Pseud. 359: *'Ingeré mala múlta —*, Most. 892: — *qui cúderé soles nummos*, Merc. 1008: — *Hic est intus fíliús apud nós tuus* [13]), atque ipse Fleckeisenus, cum Rud 1173 in editionem reciperet: *Fíliá mea, sálve.* —

Ita ad Pseud. v. 700 pervenimus in Fleckeiseni enarratione postremum:

Nóvos mihist. :: Nimiúmst mortalis gráphicus, heuretá mihist.

sic enim vult scribi versiculum, cum in libris *'heuretes'* traditum sit, apud Ritschelium *'heureta is'* legatur. At si locupletissimis Bentlei Ribbeckique indicibus fides habenda est, εὑρετής vocabulum apud comicos hoc solo loco invenitur. Ut non cum vocabulis *'machaera, drachuma, tarpessita'*, similibus uno genere comprehendendum sit, sed iis sit verbis adnumerandum, quae Plautus nihil mutata ex graeca lingua atque adeo, nisi coniectura fallit, ex exemplari graeco latini sermonis in contextum admodum iucunde transtulit. Quemadmodum hodie poetae comici vernaculam linguam quibusdam Franco-Gallorum locutionibus solent distinguere. Sic hac ipsa in scena mox (v. 712) legimus: *Euge, iam χάριν τούτῳ ποιῶ*, ut ante v. 443: *Ὦ Ζεῦ*, v. 483: *Ναὶ γάρ* et *καὶ τοῦτο ναὶ γάρ*. Praeterea conferas Trin. 419: *argentum οἴχεται*, v. 705: *euge, euge, Lusiteles, πάλιν*, Capt. 880: *μὰ τὸν Ἀπόλλω* etc., Cas. III, 6, 9: *πράγματά μοι παρέχεις* et: *dabo μέγα κακόν*. Nihil igitur mu-

12) Cf. Lachm. comm. in Lucr. II, 719. Ritsch. prol. in Plaut. p. 224.

13) Congessit Roeperus philol. tom. 18.

tandum censeo, nisi ut graecum vocabulum graecis exprimas literis: *εὐρετής mihist*; quae tamen ne est quidem mutatio, quoniam omnino in codicibus graeca vocabula latinis literis exarata sunt.

Veraces edepol et certos testes! Quotusquisque eorum fidem, quae iis a Fleckeiseno habita est, vere meruit? Num plerisque horum sublestiore fide sunt, qui praeterea ex quatuordecim illis fabulis, si quidem de talibus disputandum est, afferi poterant hice:

Bacch. 584: qui té mala crux ágitat, qui ad istuno modum | Quid? quae te: Ri.

Stich. 73: Néquo ego facturá sum neque tu ut fácias consiliúm dabo | *sic* BCD; *sed aliquid turbatum esse docet* A. Néque ego id súm fact —: Ri.

Stich. 159: Nam illá me in alvo ménsis gestavit decem | Nam me illa: *Pylades.*

Most. 170: Ita mé di ament, lepidá Scapha: | lepidast: *Gruterus.*

Merc. prol. 26: Inéptia stultítiaque adeo et témeritas | Inepties: *Lachm.* atque stult. adeo: *Ri.*

Curc. 46: Eam vólt meretricem fácere: ea me dépérit. | [at] ea: *Fleck.*

Curc. 602: Páter istum meus géstitávit. :: Át mea mátértera. | Át [pol] mea. *Fleck.*

Sed nemo, qui Plautinorum librorum condicionem cognitam habeat, ulli ex his septem versiculis fidem habebit aut in his merito librorum memoriam a viris doctis relictam esse negabit, ne hodie quidem, cum principio hanc vocalem longam fuisse inter omnes constet [14]. Atque ut etiam eorum labefactemus fiduciam, qui cuivis adhaerent librorum memoriae et hinc tamquam ex arce propugnant,

14) Negat sane Bergkius contra Corssenum, Iahn. ann. phil. tom. 83, p. 497.

non inutile erit tales quoque enotavisse scripturae discrepantias, quales habes: Stich. 707, Trin. 470, Pers. 516 et 298:

Cántiost graecá: *libri, paeter A, qui:* 'cántio graecást'.
Adpósita sit cená, popularem quám vocant: BCD.
cena sit: A.
Quaé istaec fortuná lucrificast: *libri*; lucrifibaest fortuna: A.
Nam umbrá mea intus vápulat: libri; A: mea . . . intus.

et, ut fit aliquando, deterior in meliore codice lectio exstat Pseud. 379:

Haéc sententiá mea est: A. haéc mea est senténtia: at: *rell.*

Quae si comparas atque consideras, nonne verisimile videtur, pleniorem si haberemus librum rescriptum aut adeo codicem hoc aliquot saeculis antiquiorem, falsorum istorum testium multos omnio non exstituros fuisse?

Sed ut qui iudici aequitatem professi simus, duos restare versus fatendum erit a Corsseno ex Epidico Asinariaque allatos [15]), quorum fidem quod deminuat frangatve, ex ipsis nihil elicitur. Ceterorum tam suspectorum versuum societas sane contra eos quoque suspitionem movet, sed vereor, ne hoc ad condemnandum non videatur sufficere. Itaque videndum erit, num forte extrinsecus in eos ratiocinando aliquid effici possit. Atque omnino versus si contemplamur, in quibus verba invenimus in '*a*' illud desinentia, statim aminadvertimus plerumque vocalem aut in thesi delitescere aut sequente vocali elidi. Videantur igitur hi omnes versus nihil curandi esse. Non sunt sane plerique. Nonnulli tamen, quamvis ab his in re non differant, ita sunt comparati, ut nesciam an eorum in hac quaestione aliqua sit utilitas; qui sunt hi versus: Bacch. 50,

---

15) v. pag. 44. Nam v. Epid. I, 1, 39: '*Est caussa, qua caussa simul* —' certis exemplis adnumerandus non est.

887, Pers. 23, 226, 312, 314, 545, Mil. gl. 190, Curc. 116, Mil. gl. 383:

Víscus merus vostrást blanditia —
Tibi síst machaera, at nóbis vervinást domi.
Vetus iam ístaec militiást tua —
Ubi illa álterast furtífica laeva —
Quid hoc híc in collo tibi tumet? :: Vomicást, pressare párce.
Háecine illast furtíva virgo?
— numquam súpplicat, si quást mala
Méane ancilla líbera ut sit —
Hac nócte in somnis méa soror geminást germana vísa [16]).

Quibus in omnibus praeter ultimum versum haec est consentiens optimorum librorum scriptura. Iam ut Plautus re vera de qua agitur vocalem pro ancipiti haberet, nonne mirum in his omnibus versibus, quibus tam in proclivi esset vel '*viscust*' scribere, vel '*domist*', vel '*tuast*', vel '*laevast*', vel '*vomica*', vel '*virgost*', vel '*malast*', vel '*ut libera sit*', vel denique '*visast*', eum libertate, quam sibi concederet, nunquam usum esse? Quid? Haec omnia casu facta putabimus, haec negabimus adiuvare verentem, ne omnino spreverit poeta licentiam linguae historia ei sane concessam? Scio quidem non cogere talia, ut adsentiare. Reputes contra velim nos negantes esse et ex rei natura argumentorum copia non abundare.

Unum superest, ut videamus de versibus, in quibus '*a*' vocalis in recto primae declinationis casu sine dubio pro brevi est syllaba. Qui versus summi ad hanc quaestionem fuissent momenti, adeo, ut paucis eorum allatis rem licuisset conficere, si vera essent, quae Corssenus l. l. II. p. 130 in annotatione contra Geppertum disputavit. Cuius quae intellego verba ipsa adpono: Es war natürlich,

16) Geminast : *Bi*, gemina . . A, gemina : B, gemina et : *rell.*

dass sie (sc. Romanorum poetae) sich auch scheuten hier (i. e. in versuum exitu) den mittelzeitigen Sylbenlaut, der durch einen stummen Vocal mit folgendem Consonanten gebildet ist, an die Stelle der kurzen oder einzeitigen More zu setzen. Die mittelzeitigen Vocale sind ja irrational, nicht genau messbar mit der Einheit einer metrischen Zeitlänge oder Zeitkürze; gerade dieses Unmessbare, Irrationale trat dem Durchklingen des reinen Versmaasses im Versschlusse ebenfalls störend und widerwärtig in den Weg. Daher war es nothwendig, dass die mittelzeitige Wortsylbe für die metrische Kürze dort ebenso gemieden wurde wie die lange [17]. Sed fatendum est Plautum ne in ultimo quidem pede ut purus existeret iambus tam anxie curavisse, ut non etiam quasdam ancipites syllabas admitteret; qualis syllabae eo loco exemplum creberrimum '*fuit*' praebet in fine versus positum Amph. 92, 180, 254, 322, 325, 425, 447, 457, 762, 817, 893, 950. Eodem pertinet Capt. prol. 14: — *non ruptúrus sum*, quocum conferas Mil. gl. 1184, Rud. 103, 512, Bacch. 856, porro talia, qualia sunt in fine versus: *vóluerunt*, Mil. 117, vel '*donavíque ei*' Mil. 1204, '*návis confractást eis*' Rud. 73, similia. Quare vim, quam ex lege a Corsseno statuta tribuere possis, non habent hi omnes versus, in quibus iambi, qui purus esse debeat, thesim vocalis de qua agitur occupat: Pers. 223, Mil. 267, Amph. 705, Stich. 473, Merc. 857: — *certa rest.* Pers. 150: — *surpta sit.* Ib. 278: — *ulmitriba tu.* Ib. 615: — *serva sum.* Trin. 286: — *hiulca gens.* Ib. 766: — *visitata sit.* Mil. gl. 379: *clatrata.* Nam. Ib. 902: — *salva sis.* Ib. 972: — *illa volt.* Ib. 1276: — *nupta sit.* Ib. 1344: — *amplexa sum.* Stich. 196: —

17) Corssenus certe, qui tali lege per se quidem non improbanda poetam adstrictum putat, ut sibi constaret, '*a*' illius productionem Plauto vindicare non debuit. Sexcenta enim eius exstant in ultimo pede exempla.

missa sum. Ib. 339: — *salva sum.* Ib. 676: *arcessita sum.* Men. 394, 733: — *Sanane es?* Merc. 511: — *advecta sum.* Ib. 529: — *quoia sum.* Truc. II, 6, 39: *misera sum.* Amph. 1058: — *absumpta sum.* Asin. 838: — *dicta sit.* Curc. 654: — *Sanane es?* Epid. IV, 2, 5: — *nata sit:* Ib. II, 2, 110: — *illane?*

Tot enim in quattuordecim fabulis '*a*' vocalis sine dubio brevis exempla exstant, certa productae vocalis in eodem fabularum numero duo repperimus. Atqui brevitas uno fere versus loco cognosci potest, compluribus poterat longitudo, ut ad numerum plane diversam rationem inter utriusque generis exempla exspectes. Nihil ergo probabilius quam omnino Plautum productione vocalis abstinuisse. Ut igitur finem faciam, duo isti versiculi emendandi sunt, quorum alterum sic cum Ritschelio scribas: (v. prol. in Plaut. p. 182).

Ne epístula quidem [illi] úlla sit in áedibus

alterum sic Fleckeiseno duce:

Potuit: plus iam quinquénnium sum líbera.

Die [illegible] der A [illegible], [illegible]
[illegible], W. Wagner ed. Anthol. Cambr.
1866 p. xvi. xvii. [illegible]
Lindemann [illegible] II 1, 280 Vorr. S. X.

Vita.

Richardus Mueller natus sum a. d. XVII Cal. Aug. anno h. s. XLII Glogoviae, in urbe Silèsiae, patre Iulio, matre Maria e gente Ioachim, quos adhuc vivere vehementer gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Ex tertio decimo aetatis anno artibus liberalibus instructus patriae urbis in gymnasio, quod Adolpho Klixio rectore etiam nunc floret, vere anni h. s. LXI universitatem adii Berolinensem, cuius per annum civis prodocentes audivi Böckhium, Droysenum, Hauptium, Trendelenburgium. Inde in annum, ut tunc erat consilium, Bonnam me contuli, quo tamen cum venissem, non potui ab animo impetrare, ut ante studiorum academicorum finem Rhenanam universitatem relinquerem. Itaque per tres et dimidium annum scholas frequentavi Brandisi, Diezi, Gildemeisteri, Iahni, Ritscheli, Simrocki, Schopeni, v. Sybeli, Troscheli. Praeterea optatissimo mihi O. Iahni ac Fr. Ritscheli beneficio contigit, ut seminari reg. phil. per annum essem sodalis ordinarius, per annum senior; atque etiam exercitationibus epigraphicis per annum ut interessem Ritschelius benigne permisit. Qui viri omnes quam bene de me meruerint penitus sentio gratoque semper animo profitebor.

Sententiae controversae.

I. Soph. Philoct. v. 1383 Di. sine dubio sic scribendus est:

πῶς γάρ τις αἰσχύνοιτ' ἂν ὠφελῶν φίλους;

qua de emendatione iam cogitavit Buttmannus.

II. Callim. hymn. in Apoll. v. 68 'ἡμετέροις βασιλεῦσιν' verba de Battiadis, Cyrenarum regibus, interpretanda sunt, non de Ptolemaeis, ut scholiastam secutus voluit Spanhemius.

III. Plaut. Asin. versuum 581—82:

Ut ádsimulabat Sáuream med ésse, quam facéte;
Ut mémoriter me Saúream vocábat atriensem

posterior, qui in cod. Vetere post v. 584 legitur, delendus videtur.

IV. Taciti dial. de orat. cap. XXXVI in verbis '*cum parum esset in senatu breviter censere, nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tuerentur*' ante '*nisi*' tale quid excidisse puto: *neque quicquam pollerent*.

V. E Saturniae poesis usu in grammatico cum versuum accentu conciliando in comicorum poetarum artem nihil est colligendum.

VI. Inde, quod ceteri Titanes, quibus eadem erat, si ad rem ipsam spectes, cum Iove luctatio, quae Prometheo, in initio 'Promethei Soluti' ad Caucasum adstant iam liberati, apparet omnem litis condicionem cum ipsa litigantium natura mutatam esse.

VII. Civium virtus sola certum est rei publicae salutis praesidium.